



S R

1506



Ed. 53 **Sammelband**





2 Im 1385

Precationes

PIAE ET BREVES

EX EVANGELIIS

DOMINICALIBVS ET FERIA-

RVM TOTIVS ANNI DESVMPTAE,

& Sapphico carmine cum Adonico redditae

à

M. ADAMO SCHRAMO,

VVONSENSE.



VVITTEBERGAE.

Typis M. G. Mulleri. Impensis Pauli

Hellmichij Bibliopola.



AD ZOILVM.

Implorare DEVM doceo: mihi
Zoile parce.

Qui spernit preculas, non amat
ille Deum.

Contendi votis: Et voti compos
abivi.

Fac simile; Et voti tu quoque
compos eris.



ILLVS.

ILLVSTRIS-
SIMO CLEMENTIS-
SIMOQVE PRINCIPI AC
Domino, D. GEORGIO FRIDE-
RICO, Marchioni Brandenburgensi,
Borussiae, Stetini, Pomeraniae Cassubio-
rum, Sclavorum, & in Iegerndorff Siles-
siae Duci, Burgravio Noriberg, &
Principi Rugiae &c.

Domino suo Clementissimo Gratiam & pa-
cem à Domino N. I. Chri-
sto.

OMnes homines, Illustris: & Cle-
mentis: Princeps, qui sese stu-
dent adiungere verae Ecclesiae, vel
iam antea eiusdem membra sunt,
summâ ope niti decet, ne mandata
gravissima divinae Maiestatis con-
temptui habeant, veluti securi &
prophanj. Cum enim DEVS sit

() ij verax

EPISTOLA

verax in dictis & factis, & fortem
zelotem sese nominet, visitantem
iniquitatem patrum in filios in ter-
tiam & quartam generationem:
omni dubio remoto certum est,
præcepta ipsius non de nihilo esse,
& comminationes additas non cē-
sendas inania terriculamenta; Sed
certissimè sequi pœnas violationē
cuiuscunque mandati divini. Ac
etiamsi Deus, pro sua bonitate, eas
interdum differt; tamen tarditatem
pœnæ gravitate supplicij, si minus
in hac, certè in futura vita recom-
pensat, nisi vera pœnitentia & vitæ
emendatione ad veniam flectatur:
id quod evidentia exempla vtriusq;
Testamenti, & historiæ omnium
temporum satis abundè compro-
bant.

Inter alia autem præcepta divinæ
VOCIS

DEDICATORIA

vocis meritò primas tenet illud, de
Invocatione, seu precibus ad Deum
dirigendis: Quod cùm in S. scriptu-
râ passim repetitur, tum verò ma-
ximè in Psalmo 50. Vbi Deus per
Davidem sic mandat omnibus piis,
inquiens: Invoca me in die tribula-
tionis; eripiam te; & glorificabis
me. Quod dictum breve tria com-
plectitur: 1. Præcipit invocationem.
2. Promittit exauditionem & libe-
rationem. 3. Postulat gratiarum
actionem & sacrificium laudis. Hæ
summæ sunt virtutes secundi Præ-
cepti primæ tabulæ Decalogi, &
naturali ordine rectissimè se invicè
sequuntur, tanquam causam effe-
ctus. Hoc, n. in actum feliciter pro-
ducto, oritur suavis motus cordis
lætantis ob præsens bonum, & ho-
minem ad ἀντίδωρον instigantis;
() iij quæ

EPISTOLA

quæ gratiarum actio & fructus laborum nostrorum dicitur.

Angustijs igitur & difficultatibus rerum circumventi, & cruce tantū non oppressi confugiamus ad hunc verum Deum, qui se patefactum misso filio & dato S. S. invocari præcepit, eumq; fiducia filij Mediatoris, auxilio spiritus sancti, fidenter imploremus, indubitata spe freti, certò fore, vt secundum nostram, si non voluntatem, certè salutem exaudiamur.

Etsi autem melior precandi forma præscribi & tradi non potest, quam quæ ab ipso Christo discipulis suis & omnibus Christianis præscripta & tradita est: multos tamen pios omni tempore fuisse videmus, qui divino aflatu moti ardentissimis votis & precibus Deum
allocuti

DEDICATORIA

allocuti sunt, & formulas in angustiis ad Deum confugiendi nobis reliquerunt, testimonio nobis sint Psalmi ferè omnes: Caput 9, Danielis, & Prophetarum reliquorum libri non pauci. Horum exempla etiam nostris & retrò temporibus multi secuti, magna dexteritate & ardore animi ex instinctu S.S. integros piarum precum libellos conscripserunt, nobisq; posteris per manus quasi tradiderunt: Inter quos non postremus fuit Venerandus senex, vir doctissimus & de Ecclesia Christi optimè meritus, M. Vitus Theodoricus Noribergensis, piæ & sanctæ memoriæ, qui qualia nobis scripta reliquerit, notius est, quam ut multis indicari oporteat.

In extremo autem suæ ætatis tempore, etsi tum propter virium defectus

ctus

EPISTOLA

Etus & annorum gravitatem, publicum docendi munus exequi amplius non valebat, nunquam tamen à studio & opere suo privato cessavit; sed in lectulo infirmitatis suæ ea ipsa domi cogitavit, quæ tum agere in publico non poterat, & tanquam sedula apis, insignia dicta ex Evangeliiis, quasi flosculos amænissimos diligenter collegit, summarijs doctissimis & precatiunculis ornavit, eaq; in Enchiridion congesta rudi plebeculæ ediscenda reliquit.

Hanc cygneam tanti Theologian cantionem, ob insignem & ineffabilem vtilitatem ad ecclesiam inde promanantem, omnes pij meritò amant, discunt, admirantur.

Ex eo itaq; libello precatiunculas annexas excerpfi, easq; simplici & bre

DEDICATORIA

& brevi carmine Sapphico Adonico
(quod præ cæteris huic materiæ i-
doneum videbatur) servatis, quan-
tum fieri potuit, & verbis & phrafi-
bus, diebus Dominicis & festis, quæ
inter alia sacra tertij præcepti De-
calogi opera, pijs & ardentibus ad
Deum precibus fundendis, in pri-
mis sunt destinati, dum pro virili
reddere conor, eas divinâ adjutus
gratia, non quidem quâ malui &
debui, sed tantum quâ potui felici-
tate, ad finem tandem perduxî.

Has primitias, Illustrissime
Princeps, Domine Clementissi-
me, huius meæ qualiscunq; cona-
tus, C. V. summa animi subie-
ctione dedico & offero, hac
potissimum de causa: vt erga
C. V. hoc, quicquid est testimonij,
grati & beneficiorum præclarorum

() v

non

EPISTOLA

non immemoris animi ederem.
Nam C. V. sua munificentia me,
vnà cum alijs egenis clientibus mul-
tos annos continuos in studiorum
curriculo paternè conseruauit, & de
sumptibus necessarijs clementer
mihi prospexit.

Hæc C. V. beneficia licet tan-
ta esse ingenue fatear, vt nullam eo-
rū partem, etiam minimam, non
modo referenda, sed ne cogitandā
quidē gratia, consequi unquā vale-
am: tamen C. V. hanc chartaceam
remunerationem, vt subiectissimi
animi significationem, serena fron-
te accepturam, sibiq; me clientem
& studia mea posthac etiam clemē-
ter commendata habituram planè
confido.

Æterno, omnipotēti & vero Deo,
vni & trino sit laus, honor & gloria,
quod

DEDICATORIA

quod C. V. cum generosissima Coniuge, & tota illustriss. familia BRAN-
DENBURGICA cunctisque fidissim
is Dynastis & consiliarijs hacten-
us tam clementer salvam & inco-
lumem conservavit: quem etiam ar-
dentibus votis sedulò invocamus,
ut posthac sua gratia & clementia
paterna idem faciat, ac præterea
placidam & tranquillam guberna-
tionem his turbulentiss. & pericu-
losissimis temporibus largiatur: nec
Ecclesiæ hospitia & seminaria in
his regionibus dissipari aut deleri
unquam sinat. Datum Vvonsesij
ex patria mea, 5. Aprilis: quo die,
ante annos sex & quinquaginta,
magno Ecclesiæ Christianæ bono,
& Celsitudo V. in lucem fuit edita;
& postmodum (annis ab hinc XIII)
Scholam ad FONTES nunc ve-
re

EPISTOLA

re SALVTARES felici auspicio sumptuq; magnifico sapienter aperuit. Anno Christi, M. D. XCV.

C. V.

Dedit is: ac subiectis: cliens & beneficiarius

*ADAMVS SCHRAM, M.
Ecclesie Vvonesianæ Minister.*

AD REVERENDVM ET
ERVDITVM V. DOM. MAGI-
strum ADAMVM SCHRAMVM, Pa-
storem Ecclesie Vvonesianæ.

Non est cuiusvis magnatum ora ore decenti
Adire, digneq; alloqui:

Ergo operam præstat pietatis nomine dignam,
Qui format os rude, & præit.

Sed longè est gravius dignis accedere dictis
Terra potentem & siderum:

Hic opus est animis ardentibus, oreque casto
Humillimisq; gestibus.

Exhibet officium officiosa laude vehendum
Qui hinc verba qui modum docet.

Hoe

Hoc cum tu praestes, Pastor dignissime, vulgans
Precationum formulas;
Praclare facis omnino, laudemq, mereris,
Sicq, obligas tibi pios,
Vive, precare, vige: tecum pia turba precamur,
Vt floreamus undiq.

M. Simon Schram: Ecclesiae
Lichtenstein: Minister.

ALIVD.

Qua Sol Eois surgit ab insulis,
Et qua iugales Hesperio mari
Solvit caballos: quaq, terram
Indomito coquit Auster estu,

Qua q, insolenti frigoris impetu
Horrescit Arctos & glaciatur mare:
Quaecunq, circumfers ocellos,
Omnia nempe vides acerbi

Luctus mereri praemia. nec pati
Possunt medelam; donec ad ultimum
Christus tribunal praepotenti
Dissociet genus hoc paratu.

SED quid misellos nos beet interim,
Qui Christiano nomine dicimur?

P R E C E S. vel vnis bis nefandos
Possumus interea furores
Lenire Mundi, tollere si minus

Licebit omnes. Cuiam igitur potest

Hoc institutum non probari, (lum

SCHRA ME, tuum? quod in hunc libelo

Musa

Musa Latine carmine Sapphico
Orationes contuleris pias.

Ad copiam Precationum
Nemo bonus, puto, nauseabit.

M. SOLOMON PELEIAN-
DER Eub. M.

ALIVD.

Fama Phœbigena celebriori
Artes evehat integrum cuiq³ est,
Morbos quæ prohibent acutiores,
Arcent quæ procul hinc gravem Jenecl².
Laudet, qui volet, aureas arenas
Quas, Pactole, vehis Tagive grana:
Aut Cræsi locupletis, aut Sabæis
Quantas legit Arabs opes in agris,
Fascies atq³ superba sceptrâ Regum:
Vitam quæ haud faciunt beatiorē,
At sunt subdita cuncta vanitati.

Morbo viue anime tuæ mederi,
Et prudenter opes parare veras
Scansurus stygi) lacus ad astra (NVM
Victor? hunc manibus PRECATIO-
Evolvas lepidum novum libellum:
Hic monstrabit iter deiq³ gazam
Argento preciosiorem & auro.

Tantum est. Laus modo conticescat omnis:
Lectus, iudice te, placebit ille.

M. Ioh. Pfentnerus Vuonsesensis.

ALIVD.

ALIVD.

Σχράμιος, εὐὼν χειρῶν μυσέων ἔριθρος ἀοιδός,
 Σαπφῶνς κιθάρης ἴδ' ἀνέθηκε μέλος
 χειρῶν κ' Μουσῶν. Τί δ' οἱ χρεός ἀναπαδούνοισ;
 Διοσῆν εὐσεβίης εὐεπίηστε χάριν.

Idem Latine.

ILLE Deo vates, SCHRAMVS, Musisq; probatus,
 Sapphoæ citbaræ carmen id esse sacrum
 Vult Christo & Musis; geminosq; hinc poscit
 honores,

Digna quibus pietas carminis & honoras.

Laurent. Rhodomanus, P. L. &
 Acad. Ienensis P. P.

In Precationes ADAMI SCHRAMVS
 M I, sapphico versu conscri-
 ptas,

DVM sacra tractādo SCHRAMVS sacrisq; litando
 Pectidīs AEoliæ plectra sonora ferit:
 Lesbīs apud tacitos hæc metrapoetica manes
 Accipiens, taleis prodidit ore sonos:
 Hei! quantum nostris præstant ea carmina nugis!
 Queis docui pueras; hæc sed amare DEVM.

Bernhardus Prætorius, Iespurg. Chattus
 Poeta Laur.

AD

AD ADAMVM SCHRAMVM,
super sacris ipsius odis.

Res magna est nimiumque potens, Oratio IVSTI,
Salvificâ Christi quæ stabilita fide est.

Hæc aperire potest occlusa sacraria cæli,
Morigerumque suâ lege citare Deum.

HANC cum Sappho doceas nos, SCHRAME, libello;
Non erit ingenii gratia nulla tui.

Nam quid amabilius poterat maiusve doceri,
Quàm reserare polos, & revocare Deum?

FRID. TAUBMANVS,
Vonselas, Poeta Coro-
natus

Popularitatis causâ faciebam
VVittebergæ.

DOML

1
DOMINICA PRIMA ADVENTVS.
PRECATIO.



DEVS foris, Sapiens et omnis
Fons boni, justis moderans ha-
benis

Cuncta, mortalis generis per Or-
bem Vnicè fautor:

Maximas plena tibi corde grates

Dicimus: lingua tua summa tollunt

Dona, vox leto tibi cantat amplas

Carmine laudes:

Quòd suum misit tua Celsitudo,

De Polo summo super ima terre

Filium, Rex ut fieret suorum

Iustus & aequus.

Verus & noster Mediator esset,

Criminis tetri lueretq; penas,

Nosq; sanaret, stygii Tyranni

Robore fracto.

Sub graui cuius maledictione,

Tartari nigri rigidisq; vinculis

Propter innatos anima reatus

Cuncta gemebant.

A

Suppl.

Supplices te nunc etiam rogamus ;
Vt pie nostros animos sacratio
Spiritu ducas , ut adhareamus

Firmiter illi.

Neminem vilis fragilisq; forma
Eius offendat , neq; vile dogma
Scandalon , mundo veluti maligno ,

Præbeat vlli.

Ipse sed nostra Pietatis arx sit ,
Et spei portus , fideiq; finis ,
Ipse nos Cæli superas beatos

Ducat in edes.

DOMINICA SECUNDA
ADVENTVS.

Summe Cælestis genitor Caterue ,
Rector eiusdem , generisq; nostri ,
Omnium rerum , triplicisq; mundi

Conditor alme.

Nos tuo Gnato referente scimus ,
Ultimus quando veniet dierum ,
Huius immensa ruitura rursum

Pondera molis.

In leuem nostros cineremq; versos
Frigidos artus iterum , prioris
Spiritu vita redeunte , iunctum

Protinus tri.

Scimus

Scimus & nobis simul esse standum
Ad tui sanctum Geniti tribunal,
Iusta qui iustis, mala sed malignis
Pramia reddet.

Tu tui nostris pedibus lucernâ
Splendidâ verbi præcas, fidemq;
Augeas: & nos stabiles potenti
Flamine serues.

Eius ut ductu fugiamus omne
Crimen, invictis animisq; simus,
Quando nos tentant Satanas & Orbis
Et Caro nostra.

Nec gravi mentes oneremus unq;
Crapulâ, vite vetitisue curis:
Sed preces dando, vigilemus omni
Tempore leti.

Et tui Gnati reditum supremo
De Polo letis oculis videntes
Cum pijs cunctis in amœna Cœli
Regna feramur.

DOMINICA TERTIA ADVENTVS.

O Pater summo residens Olympo,
Cum tuo Gnato superoq; Flatu,
Qui piam curam geris uniuersi
Prouidus orbis.

*Ipsē decretum nouus hoc tulisti
In throno sancto Deitatis autor,
De Polz summo tuus ut veniret*

Culmine Gnatus.

*Viq; mirandā DEVS Vnionē
Sanctus in terris Homo nasceretur,
Et potestatem stygij ferocem*

Frangeret hostis.

*Et suis mortem spoliaret armis,
Criminum sordes aboleret, atq;
Tartaro nobis per eum soluta*

Colla redirent.

*Supplices flexis genibus precamur,
Summa diuino tua quò potestas
Spiritu ducat, regat & gubernet*

Pectora nostra.

*Ne rei quicquam meditemur unquā,
Traditum sancti nisi dogma verbj,
Scandalon nullum, Ratio quod audax
Monstrat, amemus.*

*Huius at simus populi beati
Portio, qui te veneratur, om̄ij
Laude qui Christum celebrat, sacrumq;
Flamen honorat.*

**DOMINICA QUARTA
ADVENTVS.**

O DEVS

O DEVS verax, Genitor benigne,
Cuius occasum Bonitas & ortum,
Pendulas nubes, nitidumq; Cælum
Implet & ornat.

Maximas imis canimus profectas
Cordibus grates tibi: Christianum
Quòd piè donas benè constitutis
Ritibus agmen.

Sancta Baptiste manus inchoavit,
Trans Iordanis fluvium, iubente
Te, salutaris generi nefando
Fluminis usum.

Per quod ingenti Bonitate semper
Unicum propter Genitum benigne,
Sparsa per carnem reprimis paterne
Seminalabis.

Addis & nobis veniam patrati
Sponte delicti, simulatque donas
Spiritus Sanctum tribuis beata
Munera vita.

Nunc Parens omni venerande cultu,
Supplices vero gemitu precamur,
Redde constantes animos; secundas
Suffice vires.

Vt tuâ freti miseratione,
Illud in nullum dubium vocemus

Ritè promissum, nec in hoc probando
Corda vacillent.

Inde sed nobis alacres paremus
Rebus in duris animos, malisq;
Hauriant mentes varijs grauata
Inde leuamen.

Præuio nostris pedibusq; Flatu
Da Sacro, prauæ locus actionj
Ne relinquatur, spacium patrandi
Crimina tolle.

Vt piam vitam Scelerisq; puram,
Sicut à cunctis sacer hic requirit
Ordo, ducamus memores subinde
Fæderis icli.

Præualet quòd si malesuada radix
Criminum (Nemo quia labis expers)
Sternit & uilem grauiore nostram
Turbine carnem:

Tu iuues clemens iterum potenti
Dexterâ lapsos, facias sequaces
Nos, ut exenti vitijs piorum
Fæda sequamur.

Et tui nobis redeat Fauoris
Mentio, qui nos recreet vicissim,
Atq; promissæ sacra consequamur
Præmia vitæ.

IN FES.

IN FESTO NATIVITA-
TIS DOMINI NOSTRI IE-
SV CHRISTI,

Summe Cœlestum Pater incolarum,
Autor humanj generis, tuiq;
Fœderis sancti memor, atq; servans
Paciã Favoris.

Maximas toto tibi corde grates
Soluimus, summâ Bonitate gratj
Pro tuâ, latis sacra concinentes
Iubila linguis.

Quòd tuum nobis miseris dedisti
Unicum Gnatum, tua quam paterna
Mens ab aeterno genuit, stupendo
More modoque:

Carnis ut sumens (ubi plenitudo
Temporis venit) sacra membra nostra,
Virginis castâ fieret puellus

Matris in aluo,
Nosq; submersos scelerum baratro
Rursus extractos faceret redire
Ad gregem sancti tua promouentem
Dogmata verbj.

Ac ut aeterna juga seuamortis
Demeret nostris jugulis, & Orbi

Redderet toti placidam quietem

Et bona cuncta,

Sparge Cælestis radios, precamur,

Spiritus: nostros animosq; lustra,

Vt tibi semper meditemur imo

Pectore grates

Et p̄ys hymnis tua predicemus

Dona, qua nobis ita missione

Filij, Clemens Pater obtulisti,

Semper & offers.

Res nec aduersa, neq; vis, nec ullus

Abstrahat nostras timor inde mentes,

Sedulò contra mala cuncta sed nos

Hisce tegamus,

Hoc tuo donec redeunte Gnato

De polo summo, capiat paterni

Gloriam Regni pia turba, cuius

Est Caro factus.

DOMINICA PROXIMA
POST NATIVITATEM
CHRISTI.

Iova, qui nosti penitus recessus

Cordis, & quasuis meditationes;

Atq; pellustras vigilante cunctas

Lumine mentes.

Qui p̄y Sancto Simeonis ore

ipse dixisti, veniente Gnato,

Dupli.

Duplices Cætus hominum futuros

Esse per orbem.

Ecce nunc (vates venerandus inquit)

Ponitur Christus tuus in ruinam

Impiis: iustis sed in alleuamen

Ponitur idem.

Te probis Patrem facilem rogamus,

Fac sacro motus tibi complacentes

Spiritu nobis veniant; & idem

Pectora lustrat,

Hunc tuum; verâ pietate Gnatum

Semper ut totis animis colamus,

Nec mali quisquam metuamus, eius

Numine freti.

Et resurgamus per eum, nec unquam,

Impius sicut facit iste mundus,

Eius exilem speciem profano

Ore notemus.

Rebus in duris alacresq; simus,

Atq; fortunam patiamur omnem,

Quæ tuum verè comitatur alium

Dogma professos.

Nam manet certum dubio remoto

Negligunt quòd qui documenta verbj

Vera, Cælorum pede sacra nullo

Limina tangent:

A 5

Mente

Mente sed si quis memori reponit
Hæc, & invictis animis fatetur,
Lætus is summi radiata Cæli

Scandet ad astra.

IN FESTO CIRCUMCISI-
ONIS DOMINI NOSTRI IE-
SV CHRISTI.

O Creatarum Pater alme rerum,
Cuius illustris Deitas ubique
Cuncta conservat, quod in Orbe summo
Constat & imo:

Solvimus toto tibi corde grates,
Et tuæ large Bonitatis ampla
Dona, dum vitâ fruimur, celebri
Voce sanamus.

Quod recepisti Bonus, in reatum
Turpiter lapsos homines edendo,
Arboris pomum vetita, superbo
Demone ductos.

Subditus legis rigida tenorj
Gratiâ nostri fuit, ordinante
Patre te, lapsos cupidus iuvandi
Christus Iesus.

Iunio

Iucit, & justam tibi dempsit iram,
Sustulit Legis maledictionem,
Nostra sanauit mala contumacis
Vulnera cordis.

I.
Excita segnes vigilante mentes
Spiritu, promptae vegetas ut inde
Hauriant vires, reprimantq; caeca
Semina Carnis:

Conscium vincant scelerumq; testem,
Sub sinistra quem gerimus mamilla,
Et nova vita studeamus, almo
Flamine ducti.

Donec exacta breuitate vitae
Huius, aeternae requie fruamur,
Idq; per Christum, sacra cuius omnes
Vulnera saluant.

DOMINICA INTRA FES-
TVM CIRCVMCISIONIS ET
EPIPHANIORVM.

Qui super Caeli resides cacumen,
Et tuam totum Bonitate mundum
Afficis semper, miserisq; multa
Commoda praebes:

Nos ti-

Nos tibi, sicut decet, ore grato
Soluimus grates memoriq; corde,
Vile dum nostrum trahit ossa iuncto
Sanguine corpus.

Quod tui nobis animi paterni,
Cum sacro Flatu, placida columba
Instar, e summo manifesta caelo

Signa dedisti;
Nempe dum Gnatus tuus in Lauacro
Stans Iordanis, tulit ipse, nobis
Quicquid innatum est Sceleris, sacræq;
Abluit undâ.

Et tuâ quod nos praeunte voce
Admodum Clemens ad eum reducis,
Vnicus, clamans, meus atq; charus
Filius hic est:

Est & hic solus via consequenda,
Vnicum nec nos medium paternæ
Gratia, quæ vos facit esse teelo
Crimine justos.

Nunc adoramus prece te parentem
Supplici, nos ut stabiles in illâ
Gratiâ serues: dubium nec vllum
Nos trahat inde.

Et tui Gnati quoniam Verendi
Iussa, ceu fas est, sumus exsecuti.

Nosq;

Nosq; mundavit tua sancta puri
Vnda Lauacri:

Ipsè digneris, Pater alme, Sancto
Spiritu nostra fidei labantis

Flammulam semper magis excitare
Nocte dieq;:

Ut fide stemus validâ, superstes
Vita quantisper manet: & tui post
Oris augustâ facie fruamur

Tempus in omne.

IN FESTO EPIPHANIO. RVM DOMINI.

O Pater summis venerande votis,
Cujus ex nutu Polus astra voluit
Perpeti gyro; facit alma fructus

Terra quotannis.

Mens refert, & cor meditatur, omnis
Cogitat sensus, pia lingua cantat,
Os tua summa sacra Claritatis

Facta celebrat.

Quod tuum, tanquam Cynosura certa,
Ad recens natum referens IESVM
Credulos omnes, tenebris abactis;

Dogma refulsit.

Vota commistis precibus paramus
Nunc tibi, sacri renouatione

Vi ve.

Vt velis Flatibus hominum labantes

Flectere mentes :

*Ne suas pluris faciant tenebras ,
Quam tuum lumen , sed eo fruantur ,
Ambulent cautè , videantq; recta*

Semita qua sit.

Hi Magi nobis imitationum

*Præbeant longo documenta gressu ,
Sole dum terras alio calentes*

Cum Lare mutant.

*In fugam uertant labor & pericla
Nulla nos , ullis neq; terreamur
Tadyis , nobis noua donec hæc sit*

Stella reperta.

*Et sit infixus tuus ipse Gnatus ,
Vnicum nostræ columen salutis ,
Cordibus nostris , maneamus & nos*

Semper in illo.

*Dexterâ miti bona conferamus
Nostra , quæ donas , & opes & aurum
Vt pio vitæ tuus hinc egenus*

Cæcus alatur.

*Ac coequalem tibi res creatæ
Filiū laudent , & ei creati
Seruiant vni , referantq; justum*

Semper honorem.

DOMI

DOMINICA PRIMA POST
EPHIPHANIA.

O DEVS Cæli fabricator alti
Protegens orbem, recreans & omne
Quod super terra faciem tepenti
Vescitur aura.

Pro tua dico Bonitate grates,
Maximas laudes celebros tuasq;
Dum Salutaris fouet aura fessos
Corporis artus.

Quod recens natum tua, te volente,
Vnda me lauit Sacra, Deinde Verbi
Iussa didicisti mihi, te mihiq;
Nosse dedisti.

Corde te toto, Genitor Colende,
Ob coeternam sobolem, benigna
Da precor dextra mihi septiformis
Munera Flatus.

Ne salutaris veneranda verbi
Dicta contemnant, saturisque captem
Auribus, præter sinat ire frustra
Aura nec illud.

Pectus ast summis studijs in inum
Semper id dextre meditando ponam
Ut nec unquam, te mihi dante vires,
Euolet inde.

Sed pi-

*Sed pios fructus operetur in me,
Et mihi semper tua sit Voluntas
Rebus in cunctis imitanda certa*

Regula vita.

*Ac Fides in me Pietasq; crescant
Indies, donec placide quiescens
In tuo verbo, superum beata*

Portio fiam.

DOMINICA SECUNDA
POST EPIPHANIA.

Precatio pro Conjugibus.

*Qui DEVS primo thalamum pudicum
Ipse fundasti, Veneremq; castam
Approbas, quando duo sunt in vno*

Corpora lecto.

*En cano toto tibi corde graes,
Quod tori fidam mihi conjugalis
Et pia vita sociam dedisti*

Fautor & autor.

*Candida Flatum similem Columbe
Mitte, qui nostros animos gubernet
Mutuis flammis, & amore nostra*

Pectora iungat.

*Auream pacem thalamoq; nostro
Donet, & litem fuget, ut liget nos
Vna mens, unum Cor, & vnus ignis,*

Vna voluntas. Sancta

*Sancta nobiscum Pietas moretur
Semper, & nostras regat actiones,
Sit iugum Concors, Probitasq; nostras
Incolat ades.*

*Nos licet turbent comites ingalis
Copula, ceu sunt: Sacra crux, egestas
Terror & mæror, miserag; sortis
Limus & unda:*

*Tu tua nobis tamen esto semper
Mite solamen Bonitate, præsens
Pelle, ne frangant animos tenellos,
Sæua pericla.*

*Triste nam letum fit, amara lympa
Dulce sit vinum; Crucis acre pondus
Fit iugum latu leue, te iubente
Talia veriti.*

*Liberos nostros, tua dona, rursum
Sedulis curis, tibi dedicemus,
Omnium rector Pietasq; morum
Educet illos.*

*Donec ex vita tuus hac ingali
Filius vitam ferat in beatam
Nos, ubi sancti sine fine summa
Gaudia carpent.*

**PRO AGAMOIS SEU EXTRA
CONIUGIVM VIVENTIBVS.**

Coni

Conditor cæli DEVS atq; mundi,
Qui cares omni macula, nec ullis
Es tetrus unquam vitijs, nec vlla

Labe notandus.

Cordibus castis habitare gaudens,
Approbas plenam pietate vitam,
Te meis votis precor atq; toto

Pectore supplex:

Vt mihi sanctam scelerumq; puram
Prepares mentem, reprimas malosq;
Cordis affectus, veritosq; pellas

Pectore motus.

Et meos ambos oculos gubernas,
Forte ne cernant mihi non videnda,
Ac pedum cunctos facilis meorum

Dirige gressus.

Vt sciam prauos inhibere cursus,
Nec petant unquam loca non petenda
Atq; factorum socios malorum

Te duce vitent.

Tu meam linguam rege, ne procaci
Formet obscenas sonitu loquelas,
Aurium gyros tege, ne pudenda

Scommata capient.

Nec grauem corpus nimio Lyæo,
Ebrier demens alioue potu,

Ex quib.

Ex quibus multo sequitur referta
Crimine vita

Tu comes semper mihi sis fidelis,
In feros casses laqueosq; diros
Ne cadam praeceps stygij petita
Præda Tyranni.

Fac tibi casto mea membra soli
Mente cum pura solide ministrent,
Ut nigri nunquam Ducis inferorum
Organa fiant.

His pijs quæso, pater alme, votis
Annuas propter sobolem coeuvam,
Qui DEVS verus sine fine regnas
Trinus & vnus.

DOMINICA TERTIA POST EPIPHANIA.

O Potens rerum fabricator, idem
Omnium custos hominum, tenaces
Submouens morbos, bona sanitatis
Tempora reddens.

Tu rei nostra miseratus vnus
Pessima, Gnatum proprium dedisti
In lytron nobis validum paterno
Motus amore.

B 2

Ut gerens

Vt gerens nostram sine labe massam,
Pro reis insons cracisq; rerur,
Mæsta probrosa pateret atq;
Funera mortis.

Mitte diuini pia dona Flatus
Cordibus nostris, ut amemus illum
Sortis autorem melioris, alme

Pacis opusq;
ille sit nostræ Scopus affuturæ
Gloria, paræ clypeus salutis,
Fons aqua vitæ, veniamq; præbens
Criminis omnis,

Hinc graui venit medicina morbo
Huius infirmi famuli, petebat
Ethnico sicut pius ille miles

Sanguine cretus.
Vnicum profer, Bone Christe, verbum,
Inquit, & compos suero petiti,
Hoc idem verbum facit usq; nostras

Fidere mentes.
Nam dat exemplum precibus fruendi
Hic vir, accedit Geniti voluntas,
Qui tuum iuxta placitum rogari
Mandat & inquit:

Corde qui toto mihi fedit uni,
Mors in æternum nihil huic nocebit.

Hæc pa-

Hac parens cum sint rata, vera, certa
 Quaesumus ultra.
Aufer à nobis dubium, fidemq,
Excita, mentes teneant ut illud,
Fata dum nobis oculos supremo
 Funera claudant.

DOMINICA QUARTA
POST EPIPHANIA.

Qui potens frenas Boream furentem,
Et Notum vinclis validis coërces,
Qui maris fluctus tumidos in imam
 Deprimis undam.

Ex bonis causis animi paterni
Obrui nostram pateris Carinam
Fluctibus mundi grauibus crucisq,
 Pondere duro.

Ne, quod ebullit thalamis in imis
Cordium, virus penetrans ad artus
Corporis, tandem mala perpetrandi
 Præbeat ansam.

Sed Fides crescat, bona spes alatur,
Et preces fiant. Precibus quod unquam
Poscimus patrem, Genitum per ipsum,
 Omne paratur.

Ab pater Clemens miserere nostrj,
Et vide nostros gemitus, precesq,

Mitis exaudi, ser opem, paternam
Porrige dextram.
Turatam nostram rege, nauigantem
Tu gregem serua, mala monstra perde,
Redde tranquilli loca tuta portus,
Consule fessis,
Vt tibi patri, Genito, sacroq;
Flatui, compar quibus est potestas,
Cum pijs summas resonante laudes,
Voce canamus.

DOMINICA QUINTA
POSTEPIPHANIA.

Quàm nihil toto viget orbe, quod non
Sentiat summa tua dona dextra,
O DEVS, Solis iubar & creata
Omnia testor.
Tu bonum semen, lolijs remotis,
Nempe diuini documenta verbi,
Pectoris nostri tibi preparatos
Spargis in agros.
Pro quibus summo tibi jure grates
Maximas pleno recitamus ore,
Semper & palmas duplices ad alta
Tendimus astra.
Quin & ardenti prece te rogamus,

Vt ino

*Vt tuo Flatu subigas hoc ipsum
Semen in nobis, faciasq; Sanctas
Reddere fruges.*

*Cum suo pellas Stygium satorem
Culeo, quænis mala continente,
Ne malas herbas, lolium, Cicutam
Inferat audax.*

*Tolle secura nocitura vite
Ausa, nec præcep̄s Caro detur alto
Ocio. Gratum Satana cubile
Ocia præbent.*

*Inuolet Sanctus Timor arce nostras
De tuâ mentes, & amica semper
Aura diuini tibi nos Fauoris
Iungat in unum.*

*Ac ubi summi data templa Flatus
Tradimus rursum tibi conditori,
Vt tui Gnati comites beata
Regna petamus.*

DOMINICA SEXTA
POST EPIPHANIA.

*Qui Polos Cæli duplices, & ipsum
Conditor Cælum sapiens gubernas,
Lege quod circa teretem perenni
vobuitur axem.*

B 4

Cuius

Cuius excelso solio, sonante
Voce monstrasti sobolem coenam
Inquiens: Hic est mea mens, meum cor,
Atq; voluptas.

Hunc amet quisquis mihi vult placere,
Huic gerat morem, faciatq; quicquid
Mandat, hic solus, via, veritas est
Vita salusq;

Hisce pro donis tibi fert labelli
Gens pios fructus tua, debitasq;
Concinit grates, petit & vicissim
Pectore toto.

Vt sacro Flatu pia corda ducas
Ad tuum Gnatum, reseresq; densas
Aurium valvas, sonus ut docentis
Fortius intret.

Et vehat secum sacra verba, Cordis
In sinus imos, fidei perennem
Quae parent fructum, doceantq; soli
Fidere Christo.

Inde cum Mose sene, cum propheta
Thesbio, cum tot reliquis beatis
Millibus, Christo duce, sempiterna
Sede fruamur.

DOMINICA SEPTUAGESIMA.

Clara

Clara qui summi super astra Cœli
Fragibus campos varijs coronas,
Diues & grati noua das quotannis
Dona Lyæj.

Qui colis semper tibi spiritalem
Vineam verbo, per idemq; mittis
Omnibus seclis operariorum
Agmen in illam.

Ultimo cum nos etiam vocati
Seculo simus, dabis, ut precamur,
Spiritus Sanctum, vigilesq; mentes,
Et bona corda.

Ve laboremus studio fideli
Perg, sudatos animi labores,
Promoues quos tu, tua sancta semper
Vinea crescat.

Tolle, ne nostram scelerata vitam
Facta deformet, procul hinc & omne
Scandalon cedat, tua vox iniquos
Corrigat actus.

Et fauor nostram tuus augeat spem,
Per tuum nobis Genitum probatus
Affatim, donec fugiant diei
Pondus & æstus.

DOMINICA SEXA-
GESIMA.

B 5

Ortus.

Ortus, occasus, regio Borea,
Tractus Austrinus, latus omne mundi
Te canit, laudat, tibi seruit vni

Conditor alme.

Nec minus nostrum tibi gratiarum
Cor refert, ac os sonet actionem,
Et tui chari benefacta Nati

Lingua celebrat.

Qui tuo iussu patrio beati
Semen hoc verbi iacit in piorum
Cordium sulcos patulos per almi

Numina Flatus.

Pectoris nostri pia vota nunc tu
Duc ad optatum, sator alme, finem,
Huius & flatus ope nostra semper

Membra gubernat.

Aurium nobis reseres petrosa
Ossa, ne segnis mora seminatum
Subtrahat verbum, neq; corda torpor

Occupet unquam.

Sed pares clemens eadem, tuoq;
Rore diuino Satures, ut illud
Imbibant summis studijs, bonaq;

Sede recondant.

Vt stas horis tibi seminanti
In fide vera patientiaq;

Centu.

Centuplum fructum, segetemq; letam
Prospera reddant,
Ac tuo verbo scelerum feroces
Deleant flammis, quoties resurgunt,
Membra compescant validis habenis,
Carnis & aestum.
Simus & firmis animis parati,
Prosequi cum nos Erebi profundi
Agmen infestum, rabidiq; mundi
Organa tentant.
His resistamus, celebres triumphos
Donec, aeterno Duce te, feramus
Atq; caelestem repleamus amplis
Frugibus aulam.

DOMINICA QUINQUA-
GESIMA, VEL ESTO MIHI.

Qui regis caelos digito potenti,
Voluis & terram, Genitumq; summa
Per tuum nobis benefacta praebes,
Summe creator,
Nubilis densis oculos retusos
Reddis ardentem, facis & videre
Hunc virum caecum radiosa rursus
Sidera caeli.

Propter

Propter hunc Natum tibi nos parenti
Fundimus nostras preculas. Rogando
Alia Maieſtas tua supplicantes

Adiuuat omnes.

Cordis ex maſſa, medicante verbo
Pelle denſatas nimium tenebras,
Et refer multo radios vibrantes

Lumine verbi.

Ut tuo mentes Genito regente,
Morte qui noſtras Crucis expiauit
Innocens Agnus maculas, Deum te

Noſſe ſciamus.

Te patrem blandum pia mens anhelet,
AEgra cum triſtis dolor oſſa vexat,
Cumq; praſentem miſeris minantur

Omnia mortem.

Teg; quaramus precibus proſectis
Ex fide viua, ſolidumq; ſcutum
Porrigat nobis tua dextra, praſens

Muniat & nos.

Huius obiectu truculenta cedit
Mors, tremat Daemon, mala mens quieſcit,
Deſinit feruor Scelerum, profundus

Clauditar Orcus.

DOMINICA INVO-
CAVIT,

Summe

Summe nostrorum Deus alme, custos
Corporum, clemens animaq, nostra
Tutor, aduersus nocitur nobis

Cuncta pericla.

En dolos nectit, laqueosq, tendit
Gressui nostro capitalis hostis;
Rex domus atra loca cuncta caecis

Retibus implet.

Ceu Leo saeuus furit, atq, circum
Ambulat, quærens faciles nocendi
Impetus, & nos notat, ut cruento

Deuoret ore.

Ergo te propter Genitum precamur,
O Parens, nobis animum ministra
Spiritu Sancto, fideiq, verbo

Suffice vires.

Sæua ne nobis inimicis atrox
Victor imponat sua jura, nec nos
Flammæ tandem Phlegetontis atrum

Trudat in ignem.

Sed regat nostros tua dextra gressus,
Dum recurrentes agitamus annos,
Atq, nos secum trahat ad beatæ

Gaudia vitæ.

DOMINICA REMI-
NISCERE,

Qui cre-

Qui creas Caelos, & eos rapere
Instar extendis, DEVS, atq; terra
Terminos firmas, hominesq; multis
Dotibus ornas.

Voce sublatâ, genibusq; flexis
Quasumus proni, radijs serenis
Vt tui verbi tenebrosa nostra
Pectora lustres.

Et tui sacri pia Flaminis lux
Luceat nostris pedibus, tuag;
Gratia splendor niteat pudicâ
Cordis in aulâ.

Vt, licet nobis pariant pauorem
Conscia prauis scelerumq; mentes,
Addat & moestum vitiosa nobis
Vita timorem:

Firmiter lati tamen hereamus
In tuâ solâ miseratione;
Sicut hæc mater Cananea duro
Tempore fecit,
Perq; Soteris veneranda Christi
Flagra placati tibi liberemur,
Teq; cælesti requie bonisq;
Dante fruamur.

DOMINICA OCULI.

Summa

Summa Maiestas, DEVS & creator
Omnium rerum, generisq; nostri
Arbitet, mortis domitor, putrisq;
Victor Auerni.

Qui coaternam sobolem paternâ
Mente misisti, nitidi per alios
Aetheris tractus, ut in orbe natus
Paruulus infans

Frangeret divi validas Tyranni
Daemonum vires, hominum potenter
Et tueretur genus hoc caducum
Numine dextro.

Nos tibi primum meritas sonamus
Gratias, quod nos ita contueris,
Deinde te toto, Genitor supreme,
Corde precamur:

Ut tuâ nobis ope dexter adsis,
Quando tentamur furis nefandis
Daemonum, Carnis, scelerum, potentium,
Orbis & Orci.

Spiritu Sancto rege nos, nec unquam
Esse securas patiare mentes,
Quae nihil verbi tua prepotentis
Dogmata curent.

Fac tuo ductu maneamus omne
Tempus, à mundo, Satanaq; tuti

Et 10.

Et tuum Numen memori piâq;
Mente colamus.

Donec erepti, redeunte Gnato,
Huius ex saevâ feritate mundi,
Lata tranquilla patria per altum
Regna petamus.

DOMINICALÆ-
TARE.

Te creatorem, DEVS, omne novit,
Quicquid hæc Cæli fouet amplitudo,
Quicquid & latum mare, maximusq;
Educat orbis.

Hanc potestatem tua mens paterna
Absq; mensurâ dedit atq; sine
Vnico Gnato, super astra tecum
Cuncta regendi.

Hordeo pistos sibi quinq; panes
Et duos pisces, ut adesse iussit,
Se Deum verum benè comprobavit
Omnia posse.

Nam fame planos stimulante ventres,
In loco potus vacuo cibiq;
Pauit hæc escâ tenui virorum
Millia quinq;.

Nec tamen matrum neq; liberorum
Qui comederunt, numerus notatur.

Suppli-

Supplices te nos rogitamus unâ
voce parentem.

Sis tuâ præsens ope liberali
Reculis nostris etiam, tuâq;
Impleas largâ Benedictione
vascula nostra.

Fæda diuinis monitis Cupido
Deserat nostros animos, anhela
Et fames auri, rabiesq; nummi
Cedat opumq;:

Sed loco primo tibi seruientes
Semper æterni sacra jura regnâ
Fac requiramus, fluat inde quicquid
Vita requirit:

Quicquid & nostrum regit atq; nutrit
Terreum corpus, tua dextra donet,
Et beet terram tua largâ pleno
Copia cornu.

Per tuum Christum, Genitore qui te
Est Deus verus genitus, piâq;
Matre qui nobis similis, sed absq;
Crimine, natus.

DOMINICA IUDICA.

Qui super cælos veheris potenti
Impetu, vasti variosq; tractus

¶

Orbis

Orbis inuisis, renouante mentes

Dogmate verbi.

Idq; per Gnatum facis, is suumq;

Hoc vocat verbum, Quia voce clamat:

Qui meum verbum memori fidelis

Pectore seruat,

Is salutaes adhibet, secunda

Mortis aduersus rabiem, medelas,

Et bibet nunquam styga nec tenebras

Sentiet orci.

Cogitat grates pia mens, pium cor,

Os monet, linguam mouet ad canendum

Lesbio summa Triadi sonora

Carmina plectro.

Quod sonat nostris ea vox potentis

Auribus verbi quoq;, qua nouasti

Corda, te toto petimus verendum

Pectore patrem.

Vt Sacro Flatu renouata serues

Corda, ne missam sibi per cauernas

Aurium vocem regerant, sed ima

Sede recondant.

Viribus totis & amemus illam,

Mors ubi seuit miseros in artus,

Et breui iam iam iruculenta vite

Tela minatur.

Optimum

idro

Optimum nobis ea vox ministret
Pharmacon contra stygium venenum,
Mortis aeternae penitusq; gustum
Tollat in euum.

Annuas nostris, DEVS alme, votis,
Ob lytron Sanctum Geniti, precamur,
Qui sua lapsus genus innocenti
Morte redemit.

DOMINICA PAL-
MARVM.

O Parens, omnis bonitatis autor,
Blanda mens, cuius Favor vniversos
Sustinet Caelos, homines & ingens
Extat in omnes.

Vnico Gnato quia non pepercit
Summa maiestas tua, noluitq;
Genus ut nostra miserâ propago
Morte periret.

Sed pati mortem Crucis ipse iustus
Debuit nostrâ vice. Te rogamus
O Parens, igni calefac superno
Rectora nostra.

Vt tuam semper foveant paternam
Gratiam, Nati neq; passionem
Negligant unquam, tacito nec ausu
Crimina texant.

Nos doce cunctas tolerare sortes,
Et pati, qua tu patienda mittis,
Fortiter, donec tibi nos ad astra

Sistat IESVS.

DIE VIRIDIUM.

Hæc est dicta dies viridis, quia perdita primum,
Hæc iterum cepit nostra virere Salus.

Sancle totius Deitatis ô Fons,
Cuius immensus Favor ampliores
Perficit metas, vaga quam rotundi
Cynthia Cæli.

Nos tibi grates canimus sonora
Voce, dant mota repetita lingua
Signa, quod nostris pia Gratitude
Mentibus insit.

Hoc decet nos, nec reticere fas est,
Nam sacramentum tuus ordinavit
Filius nobis, ubi nocte cœnans

Talia mandat:

Pane porrecto comedatis, inquit,
Hoc meum corpus: roseumq; vino
Sanguinem, fluxit mihi qui per artus,
Ore bibatis.

Hoc sacramentum voco quod salubris
Fit fide verâ cibus. ô benigne

Tu parens nostras rege sempiterno
Flamine mentes.

Hac ut auctoris sacra dona digno
Ore sumamus, fideiq; viuum
Robur addamus, scelerum priorum
Tædeat & nos,
Que suâ textit tunicâ Redemptor
Noster, & jecit maris in profundum,
Tu fac ut nostras sacer actiones

Spiritus ornet.
Vita sit posthac pia, subsequantur
Exteri mores placidè, iuuenus
Proximum, donec patrias ferat nos
CHRISTVS in ades.

DIE PARASCEVES.

O Dei fili, Bone Christe, rerum
Conditor, nostri generis Redemptor,
Atq; Saluator, Mediator, idem
Iustificator:

Quo potest unquam satis explicari
Ore, diuini grauitas amoris?
Qui tibi causam dedit hos gerendi
Corporis artus.

Mons Oliueti teretes recepit
Sanguinis guttas, tibi decedentes

Ex sacris membris, in agone summo

Mortis acerba.

Vinctus es loris, scuticisq; cæsus,

Spineâ cinctus caput es coronâ,

Sunt tibi diris perarata cuncta

Membra flagellis,

Innocens, tanquam reus, ad Latrones.

Ferreis clavis, pede perforato,

Et manu totus gemina leuaris

In crucis altum.

In siti summa redolens acetum

Felle mordaci, tibi præbuerunt,

Teq; pendentem tua gens acerbo

Scommate lusit.

Mortuo tandem tibi mox acuta

Lancea dextrum latus est apertum.

Inde manavit, gemino liquore,

Sanguis & unda.

Causa quæ nostræ peperere labes.

Christe tot plagas tibi, tot dolores.

Ergo te grato celebramus ore,

CHRISTE Redemptor,

Quod tua Sancta Cruce cessit ingens.

Criminum moles, quod atrox parentis

Ira placata est, redyitq; prisci

Aura fauoris.

Victus

*Victus est Damon, superata mors est,
Fractus infernus, perijt Gehenna,
Nec pios terrent terra menticida*

Fulmina legis.

*Corde contritro gemitus precesq;
Fundimus, nostra DEVS ô Salutis,
Fac tuum nobis opus hoc stupendum*

Præbeat usum.

Vt tuum lytron, preciosa mors &

Passio firment animos, pusillam

Et fidem, contra Satanam, necemq;

Et mala cuncta,

Tolle peccandi spacium, viasq;

Improbæ vitæ patulas coarctata,

Vt Redemptori tibi pura vita

Seruiat vni.

Donec ex omni Cruce liberati,

Clausula dulcis veniente vita,

Magna conuerso tua cum Latrone

Regna petamus.

**DICTUM AUGUSTINI
DE CHRISTO IN CRUCE
pendente**

Adonico Carmine redditum.

Aspice Sancti

Quinq; cruenta

C 4

Vulne.

<i>Vulnera Christi</i>	<i>Brachia tendit,</i>
<i>Atq; cruorem,</i>	<i>Omnis ut inde</i>
<i>Quem moriturus</i>	<i>Semper ad ipsum</i>
<i>In cruce fudit.</i>	<i>Credula uerè</i>
<i>En preciosum</i>	<i>Turba trahatur.</i>
<i>Lytron IESV,</i>	<i>Est manus eius</i>
<i>Corpora per quod</i>	<i>Utraq; pansa,</i>
<i>Nostra redemit.</i>	<i>Vt quasi pleno</i>
<i>Ecce Cicatrix</i>	<i>Flumine nostris</i>
<i>Plurima letus</i>	<i>Usibus inde</i>
<i>Quando subactâ</i>	<i>Prospera semper</i>
<i>Morte resurgit.</i>	<i>Commoda manent.</i>
<i>In Cruce pendet</i>	<i>Hic pede fixus</i>
<i>Et caput ad nos</i>	<i>Harret utroq;</i>
<i>Flectit amandum:</i>	<i>Semper ut adsit</i>
<i>Vt melius det</i>	<i>Noster amicus.</i>
<i>Dulcia nostris</i>	<i>Nos neq; fratres</i>
<i>Oscula malis.</i>	<i>Deserat unquam.</i>
<i>Pectus apertum</i>	<i>Ipsè videndum</i>
<i>Cernis acutâ</i>	<i>Nobile corpus</i>
<i>Militis hastâ,</i>	<i>Dat quasi seruus</i>
<i>Vt citò nostri</i>	<i>Infimus, atq;</i>
<i>Flammeus ignis</i>	<i>Dura laborum</i>
<i>Intret Amoris.</i>	<i>Pondera vincit:</i>
<i>En Crucifixus</i>	<i>Vt sibi cura</i>
<i>Candida Christus</i>	<i>Indicet omni</i>

Tempore

Tempore nostram
Esse salutem;
Viq; potenti
Regis Auerni
Destruat aëta.

O Homo, tecum
Exige, quantum
Hæc beneficia

Sint reputanda,
Vt tibi fixus
Hæreat omni
Tempore totus
Cordis in imo,
In cruce pro te,
Qui mala promptus
Omnia vicit.

IN FESTO PASCHATIS.

Magne Cælorum DEVS, & patentis
Conditor mundi; vehemens in irâ,
Laderis quando; facilisq; rursus,
Quando rogaris.

Ira contriuit Genitum, neciq;
Tradidit propter scelus inquinata
Multiplex nostra, patriæq; vite
In paradiso.

Hunc Fauor rursus tuus excitauit,
Tertius postquam redijt dierum,
Ius ut, occlusum quod in arce cæli
Est, aperiret?

Da pater nostris animis, precamur,
Spiritus sanctum, duce quo regamur
In viâ rectâ, scelerumq; praua
Actio cesset.

Sit fides constans, nouitasq; vitæ
Duret, hæc donec calor ossa nutrit,
Æquitas, candor, pietasq; cuncta
Facta gubernent.

Vt, tui cum nos, tumultis aperis
Excitat tandem tuba clara Nati,
Lata carpamus sine fine celsi-

Gaudia Cæli.

DOMICA QUASI MODOGENITI.

Omnium rerum fabricator alme,
Affluens cuius Bonitas, Amorq;
Non habent ortum, medium, nec ullo
Fine tenentur.

Nam docent Euangelium ministri,
Hoc datum munus quibus est docendæ
Iure diuino, Genitiq; iussu,
Rite pieq;

Et sacramentum miseris utrumq;
Porrigunt nobis, velut ipse Christus
Iussit & clavis viget utriusq;
Sancta potestas.

Hic habet, qui vult, veniam reatus
Et suæ sordis, reperit fideq;
Omne solamen, Dietatis hic est
Gratia presens.

Peccatus

Pectus humanum nimis est anhelum,
Est & angustum nimis, & retusi
Sunt nimis sensus, nimis impeditum
Omnibus est os.

Vt nec amplecti valeant satis, nec
Eloqui, nec tot benefacta tanta
Gratia verbis satis explicare,
Tradita nobis.

Sed tamen nos hac animis & ore,
Possumus quantum, celebramus, atq;
Vita dum durat, tibi nostra dicent
Carmina grates.

Prepares nostros animos, precamur,
Mentium vires acuas, supernè
Corda diuini foveas sacro
Flaminis igne.

Illud ut verbum fidei recondant
In sinus imos, teneant & usq;
Ad breuis vite spatium supremum,
Nocte dieq;.

Et fidem nostram bene muniamus
His sacramentis, meritòq; Natì
Gemmei nobis speciosa Cæli
Sessio detur.

DOMINICA MISERI-
CORDIA DOMINI.

Alme



Alme Cœlorum Pater atq; terra,
Omnium rerum sapiens creator,
Et tuâ prudens moderatione

Cuncta gubernans:

Te Deum nostra miseret parentem
Sortis afflictæ, generisq; nostri
Tu geris curam, patrioq; cuncta

Lumine lustras.

Hinc amor tantus tibi venit, ultrò
Vt tuum nostris animabus agris

Mitteres Natum, Bonus & fidelis

Pastor ut esset,

Et gregem verâ Pietate plenum

Pane cœlesti saturaret, atq;

Huic daret nunquam peritura sancti

Pabula verbi.

Hunc & in cunctis grauib; periculis

Impetus contra stygis atq; mortis

Redderet tutum, Satanæq; vafros

Tolleret astus.

Ad tuam proni patriam venimus

Gratiam, nobis ouibus vocantis

Da tui Gnati simul obsequentes

Vocibus aures.

Et fac, ut rursus veneremur illum

Debito cultu reuerentiâq;

Et

Et malis cunctis habeamus inde

Mite leuamen,

Donec in caelum duce colligamur

Filio, nobis nece quod parauit,

Qui pias letis animas reponet

Sedibus omnes.

DOMINICA IUBILATE.

O Parens, cuius celebris potestas

Imperat caelo, regit astra, mundum

Seruat, & iustâ populos ferasq;

Lege gubernat,

Qui salutari ferulâ coherces

Nos tibi partos Geniti cruore,

Carnis & nostræ vitios malignæ

Deprimis ausus,

Hic ut in victo toleremus omnes,

Cum tuo Gnato grauiora passo

Propter humani generis salutem,

Pectore sortes.

Donec in caelo simul efferamur

Ad thronum, chari socij, stupende

Gloriæ, splendent ubi clara sicut

Astra beati.

Te pijs votis, gemituq; vero

Cor dis afflicti petimus parentem;

Ab

Ah preces nostras placidus sereno

Respice vultu.

Et crucis sanctæ rapido sub aestu

Cordium fibras nimis arefactas

Spiritus sancti refoue benignus

Rore superno

Ne malis fracti patiamur unquam

Vinida cladem fidei nefandam,

Sed tui Gnati benè munit nos

Sermo fidelis.

(Ore ueraci quia dixit huius

Per breues vitæ fore passionis,

Et secuturum sine fine tandem

Dulce lenamen)

Vt malum fortes superemus omne,

Spe bonâ freti patientiâq;

Hæc & ex plena lacrymis ad astra

Valle feramur.

DOMINICA CANTATE.

Qui tenes Cælum, pater ô benigne,

Et plagas terræ regis uniuersas,

Quicquid & latum mare comprehendis,

Omne gubernas.

Es per os sanctum sobolis locutus,

Te sacram Flatum populo colenti

Ried

Ritè diuina sacra iura legis
Mittere velle.

Qui suo verbo grauitè potenti
Arguat cunctos homines profanos,
In iuum Christum quòd inexpiati
Credere nolunt.

Et negant sese sine lege iustos,
Filij Solo merito putari
Hunc & horrendam superasse mundi
Principis aulam.

Cordibus totis humiles precamur,
Huius illustri face suscitare
Ipse digneris tenebrosa nostra
Pectora Flammis.

Insitas patrum maculas ut omnis,
Singulis & quæ facimus diebus,
Clam, palàm, cæcis animis, scientes,
Crimina noscat.

Et fide sola mediante, Natum
Per tuum iusti reputemur, inq;
Rebus angustis recreentur icla
Corda dolore.

Ditis is quod sit stygis atq; mortis,
Et male sortis dominus, velitq;
Gratia sola dare cuncta vitæ
Dona beata.

DOMI

DOMINICA VOCEM
IUCVNDITATIS.

O Pater clemens, facilis bonusq,
Quis locus, qua gens, quis homo tua non
Sentit aeternæ Pietatis ingens

Flumen ab axe?

Qui per aeternum λόγον indicasti,
Quicquid in nomen fuerit petitum
Eius, id certum fore, nec preces te

ire repulsum.

His tuis verbis grauibus mouemur,
Serijs & te precibus rogamus,
Nostra diuino rege cæca semper

Pectora verbo.

Spiritus firmus fragiles tuus nos
Ducat, ingressum pedibusq, nostris
Monstret, ut nunquam iitubent, sed ipso

Tramite currant.

Destruas regnum Ducis Inferorum,
Deleas linguam mala differentem,
Supprimas prudens nova cuncta turpis

Semina cultus.

Corporis vires, anima vigorem
Ipse conserua, nocumenta pelle,
Da tua mixtâ benedictione

Pramia pacis.

*Vt sacrâ circum Bonitate septi ,
Et tuâ cunctis ope liberati
A malis Sanctam Triadem perenni
Laudē canamus.*

DOMINICA EXAUDI.

*Qui leuem sceptro , DEVS ô supreme ,
Ferro turbam regis & coherces ,
Et tegis Sanctos , superis beatis
Gratus & imis.*

*En tibi grates animis & ore
Dicimus , quod nos tua mens paterna
Flatui Sancto , statuit per orbem
Addere testes.*

*Vt serenato fateamur ore ,
Omne quod Christus docet , esse verum.
Sed quid hic mundus faciat rebellis ,
Percipe queso.*

*Contumax huic martyrio resistit
Semper , & testes mala mentientes
Nos putat , nec non odio maligno
Acriter urget.*

*Tu potens ergo Pater huic resiste ,
Atq; da seruis animosa corda ,
Ne crucis nobis grauitas onusq;
Scandala fiant.*

D

Sed

Cum tuo summo patre qui creata
Et sacra Flatus regis uniuersa,
Ac reges omni sine fine cuncta

Secla futura.

INFESTO S. TRINITA- TIS.

Summa, diuino veneranda cultu
Trinitas, simplex Deitasq;, quæ non
Esse cœpisti, neq; rursus unquam
Desinis esse.

Es Pater verus DEVS, es DEVS tu
Gnate, tu Flatus DEVS, unus estis
Vos DEVS tantum, sed hypostases tres
Omne per æuum.

Mitis & clemens, facilis, benignus
In genus nostrum DEVS es, fuisti,
Ac eris semper; manifesta summa
Sunt tua facta.

Es Pater cœu fons hominum creator,
Gnate tu lapsi generis Redemptor,
Alme tu Flatus renouas, par asq;
Pectora verbo.

Hunc DEVM te, qui loca cuncta replens
Unus & simplex es in Esse, trinus
Inq; personis, pia mens & omnis
Lingua precatur;

D 2

71

*Ut DEVS noster maneat, iuuesq;
Gratiã, nostris iter hoc per ora
Dum patet verbis, tribuasq; nobis
Gaudia cœli.*

ALIA PRECATIO EX
Euangelio desumpta.

*O DEVS gignens sobolem, tibi quæ
Est coequalis, sacer ipse Flatus
Inde procedit, Triados manes tu
Fons & origo.*

*Nil boni nostra, tibi consistemur,
Esse natura, vitijs sed omnes
Turpiter lasos misero parentum
Esse reatu.*

*Hinc opis prorsus nihil inuenimus
Nos apud, contra graue mortis atq;
Criminum ius, quo cupiunt ad Orcum
Trudere cunctos.*

*Nam quod humana genuit propago
Carnis, id certè vitiosa massa est,
Nec potest alti pretiosa dici
Portio cœli.*

*Sed tuum voto miseri precamur
Numen ardenti, miserando nostris
Parce delictis, veneranda propter
Vulnera Gnati.*

Mitte

Mitte caelestem thalamos in imos
Cordium Flatum, veteresq; purga
Denuò vires, animiq; densas
Disijce nubes.

Vt fide verâ veniam reatus
Atq; nostrorum scelerum paratam
Esse credamus, mediante Sancti
Nomine Christi.

Fædus ut concors & aperta nostri
Verba Baptismi referunt, bonorum
Da pios fructus operum fideli
Corde feramus.

Simus ardentes in amore nostri.
Proximi semper, scelerumq; pari
Cuncta virtutum documenta toto
Corde sequamur.

Donec in Christi fidei statuta
Finis huic nostra veniat, perennem
Et reportemus super axe, Christo
Dante, salutem.

DOMINICAI. POST TRINITATIS.

Qui tenes cælum, capis atq; terram,
Et creaturas regis uniuersas,
Mitis exaudis gemitus piorum
Vota precesq;

D 3

Nostra

itte

Nostra diuino rege corda Flatu,
Ne tuum nobis sine fruge verbum
Detur, hoc surdis velut iste diues
Auribus hausit.

Ne caducis sic inhiemus istis
Rebus, ut cæli bona negligamus,
Sed manu largâ miseros benignè
Inde iuuenus.

Aufer à nostris animis superbos
Spiritus, & nos rege, ne sequamur
Splendidos luxus, cruce nec sub ipsâ,
Mente cadamus.

Corde sed toto, Bonitatis almâ
De tua fortes, ope pendeamus,
Atq; fortunam patienter omnem
Ferre sciamus.

DOMINICA II. POST TRINITATIS.

Summe Cælorum pater, & creator
Omnium rerum, moderator orbis,
Et maris, quicquid volat, it, leuiq;
Vescitur aurâ.

Soluimus toto tibi corde grates,
Ad sacrum quod nos epulum beatè
Gaudiÿ, sancto quoq; conuocasti
Dogmate Gnati.

Rursus

Rurſus ardentem per eum rogamus.

Te patrem, noſtras vitijſ ſepultas

Excitamentes, vigilis ſalubri

Flaminis aurâ.

Ne tuum ſurdis doceatur alnum

Auribus verbum, ſed ut invehatur

Hinc in arcanum penetrabile cordis

Frugibus amplis.

Vt fidem veram ſimul adferamus

Huc, ſacer qualem cibus hic requirit

Et nihil nos hinc retrahat, moramue

Neſlere tentet.

Donec in Cæli patriâ, quieto

Ordini Patrum, ſuperumq; menſa

Nos & aſſcribas, & ibi perenni

Neſlare potes.

DOMINICA III. POST TRINITATIS.

Regna qui cæli ſtabilis ſupremi,

Et manu fulcis penetrabile vaſti

Orbis, & prudens viridi coronas

Culmine montes.

Novimus nos (proh dolor) eſſe tanquam

Perditas drachmas & oves, per aſtus

Dæmonis captas, & ab hoc ad alta

Avia ductas.

D 4

Quin

Quin & imbellis caro non resistit,
Nec potest, propter mala cæcitatibus,
Parta per primos vetita parentes

Arboris esu.

Ergo sis clemens Pater & benignus,
Propter & charam sobolem remitte
Cuncta, qua nostrum nimis exararunt

Crimina dorsum.

Spiritus Sanctus releuet subacta
Corda peccatis, recreetq; mentes
Debiles, recti tua ne statuti

Dogmata spernant.

Ast oves semper maneamus intra
Septa cælestis stabiles ouilis,
Corde contrito tibi confitentes

Crimina nostra.

Et fide verâ tua sentiamus
Iura clementi pietate mixta,
Donec à Christo super alta cæli

Astra leuemur.

DOMINICA III. POST
TRINITATIS.

O DEVS, cuius Bonitas paterna
Non habet finem, neq; cæpit unquam,
Lenis es, donans sua pœnienti

Crimina cuiq;

Protulit

Protulit Gnatus tuus huc in orbem
Ex tuo Sancto gremio, piorum
Velle te nunquam maculas ad aquam
Pendere lancem.

Summa sed cunctis tua mitigare
Iura Clementi miseratione,
Qui petunt pacem, veniamq; toto
Pectore poscunt.

Supplices ergo, Genitor, venimus
Ad potestatem tibi iure dandam,
Edoce nostras mediante sacro
Flamine mentes.

Vt fide firmâ teneant Fauorem
Hunc tuum nobis, pater, indicatum,
Primum tali quoq; prosequatur
Omnis amore.

Neminem quisquam temerè, vel atrâ
Bile condemnet, notet aut malignè;
Sed remittamus faciles iniqua
Facta petenti.

Insuper largis manibus iuuenimus
Pauperes, & qui cupiunt leuari
V sibus nostris, opibusq;, quantum
Possumus unquam.

Et suae iustâ ratione quisq;
Totius vitæ probet actiones,

Ac tui uiuat pius in timore

Hic & in euum.

DOMINICA V. POST
TRINITATIS.

Christe qui uiui patris es character,
Gloria splendor, Triadosq; sancta
Verus interpret, Medicusq; nostri

Vulneris vnus.

Omnium quin & dator es bonorum.

Nam voluntatem patris indicasti,

Est tuo nobis patefacta uerbo

Ianua Cæli.

Passus es nostrâ vice, flagra, mortem

Iam foues nostram fragilemq; vitam,

Dum manu largâ varijs coronas

Frugibus annum.

Noscimus, sicut decet, & fatemur,

Neminem nasci fieriue dignum

His bonis, sed nos meruisse nostro

Crimine mortem.

Ergo tu frater, bone Christe, fratrum

Vota clamantium rata fac, repurga

Denia uitæ maculas, grauesq;

Corrige lapsus.

Redde nostrarum manuum labores

Prosperos sanctâ Benedictione,

Contigit

Contigit Petro veluti beato

Illa petenti.

Vt piè nobis tua seruet alma

Faustitas vitam, patris & fauorem,

Ac tuum lati celebremus omni

Tempore nomen.

DOMINICA VI. POST
TRINITATIS.

O Pater mitis, DEVS omnipresens,

Summa quem solum penes est potestas,

Corpus hoc totum vitÿs refertum

Esse fatemur.

Ossa, cor, carnem, cerebrum, medullam,

Sordium virus penetrauit, atq;

Haeret in toto malè pertinaci

Corpore nisu.

Hæc & affectus rapit huc & illuc

Cordis, & menti cupit imperare,

Et sequi suadet mala cuncta, recto

Tramite spreto.

Huic malo, clemens Pater ò resiste,

Et tuo Flatu renoua vetustas

Cordium vires, animiq; cæci

Pelle tenebras.

Vt tuum verbum meditemur altis

Mentibus, nec non studio frequenti,

Et

*Et pedes nostros quasi sax gubernes
Lex tua sancta.*

*Subq; diuinâ maneamus omnes
Gratiâ, Christo mediante, donec
Huic coheredes teneamus alti*

Atria cæli.

**DOMINICA VII. POST
TRINITATIS.**

*Summe Rex regum, DEVS & deorum,
In manu cuius sita sunt creata
Cuncta, qua cælum, mare, qua benignus
Continet orbis.*

*Qui tui Gnati Benedictione,
In loco planè sterili, carente
Farre, incundo Cererisq; dono,
Mira probasti.*

*Panibus septem, numeroq; paruo
Piscium, postquam sacra sunt peracta
Solutus explesti quatuor virorum
Millia diues.*

*Et tamen matrum gregis & pusilli
Hic omittuntur numeri. Precamur
Ut tuâ nobis Benedictione*

*Sis quoq; praesens.
Plura discedat procul hinc habendi
Crimen, & cogens amor ad nefanda*

Facta

Facta, nec quenquam leuisomna victus
Cura fatiget.

Da tui Regni sacra queritemus
Iura cumprimis, animi tuiq;
Omnibus rebus Bonitas paterna
Suauiter adsit.

Donec à Christo, Mediator vnus
Qui bonus noster fuit, est eritq;
Semper, in nostræ Patriæ beata
Regna locemur.

DOMINICA VIII. POST TRINITATIS.

Dicimus totâ tibi mente grates
O Parens, omnis pietatis autor,
Et tuam sanctam celebramus omni
Tempore laudem.

Splendidum pulsas tenebris beati
Quod iubar verbi, mediante Gnato,
Ipse sparsisti super vniversa
Climata mundi.

Eius & verum sine fraude sensum
Indicas nobis, aperisq; nostras
Gratiâ mentes, capiant ut illum,
Et tueantur.

Supplices te nunc itidem rogamus,
Illud in nobis opus inchoatum

ipse

Ipse confirmes, ut in hoc eamus

Et moriamur.

Omnibus fideis, Genitor, ministris,

Qui pijs tradunt tua iussa linguis,

Præbeas vires, animumq; firmum

Fortiter addas.

Proroges ipsis, pater alme, frugè

Terminum vitæ, facias ut omnis,

Ne pijs mentes oneret, malignus

Exulet error.

Qui student autem lacerare textum

Glossulis falsis, ouiumq; pellem

Induunt intus varijs lupinis

Artibus ardent.

Hos manu vindex reprimas potenti,

Deleas pœnis meritis procaces,

Ni reuertantur, resecesq; nauci

Stamina vitæ,

Vt tuum verbum meliore cursu

Permeet vasti loca cuncta mundi,

Et pijs illud maneat docendi

Semper Asylon.

Donec hinc Gnatus tuus evocet nos,

Cum sui Regni tibi sceptrâ tradet,

Inq; Cælestis ditionis amplam

Transferat aulam.

DOMI.

DOMINICA IX. POST
TRINITATIS.

O inexhausta Bonitatis autor
Et Dator, Largâ benedictione
Qui replet, grato reficisq; nostra
Corpora pane.

Affatim præbes alimenta nobis,
Atq; frumenti noua copiosi
Dona largiris, quibus indigent hi
Corporis artus.

Pelle vesanos auidi furores
Spiritus, nummos inhiantis, atq;
Auream nostris mediocritatem
Mentibus adde.

Excita nostros animos supernâ
Gratiâ, cunctis, quibus est necesse,
Ut manu miti cumulata rursum
Dona feramus.

Et suam partem benè curet omnis,
Dextra dispensat tua quam cuiq;
Nos in æternum mala ne remotos
Vexet egestas.

DOMINICA X. POST
TRINITATIS.

Summa

Summa Cælorum DEVS ò gubernans,
Infimas partes moderans & ampli
Orbis, immensi maris, aërisq;
Omnia seruans.

Qui tuum verbum, miseris & aegris
Nuncium latum, pateris doceri
Hoc malo nobis quoq; contumacis
Tempore mundi.

Hinc tui nobis benefacta Gnati,
Spiritu sancto manifesta fiunt
Quicquid is nascens, moriens, resurgens,
Contulit in nos.

Maximis ò te pater inuocamus
Cordium votis, dare ne recuses
Ipse diuino benè preparatas
Numine mentes.

Illud ut verbum patulis bibamus
Auribus, semper meditemur imis
Pectoris nostri thalamis, nec inde
Excidat unquam:

Nec (cohors sicut Solyma a fastu
Turgido spreuit tua iussa) tanquam
Rem leuem quisquam nimis arroganti
Pectore spernat.

In tuâ nostra pietate semper
Ambulent mentes, miseratione

Ac tuâ freti benè transigamus
Tempora vita.

Huc tuus donec redeat vocatum
Natus humanum genus uniuersum,
Et pios omnes patrio vicissim

Limine sistat.

DOMICA XI. POST TRI-
NITATIS.

O Parens ortu nitido diem qui
Promis, & Phœbi radios reducis
Manè, quos rursus veniente nocte
Vespere condis.

Da precor nobis pia dona Flatus
Calici, qui nos regat & gubernet,
Ne malus quisquam sua perpetrata
Crimina celet.

Nec p̄ nostræ vacuæ timoris
Turgeant mentes, neq; penitendi
Differant tempus, sed adire sancta
Numina discant.

Et petant moræ pietatē verâ,
Gratiam pœnæ veniamq; lapsus:
Atq; soletur tua nos in omni

Sorte voluntas;

Quòd futurus sis pater ipse nobis
Mitis, & nostris veniam daturus

Et

Lapsibus

Lapsibus, donec tibi copulemur

Nomine Gnati.

DOMINICA XII. POST
TRINITATIS.

Conditor cæli, liquidæq; flamma,

Aëris pari, maris atq; terra,

Cælitum, nostri generis, volucrum

Atq; ferarum.

Nos tibi grates canimus perennes,

Sana quod nobis agilis creasti

Membra compagis, variosq; prudens

Iungis in usus.

Quod caput munis, vegetasq; vires

Aurium, lingua, manuum pedumq;

Addis, & sanctâ meditatione

Ritè gubernas.

Ipse custodis opus hoc stupendum

Dexterâ magnæ Deitatis, atq;

Protegis contra Satanae furores

Intus & extrâ.

Ergo te nostrum petimus parentem,

Gratiâ diuâ facias, vicissim

Illud ut semper tibi conditorè

Seruiat unis

Organis nostra cupidis ut aures

Hauriant sancti pia iussa verbi,

Mens

Mens idem verè meditetur, idq;
Lingua loquatur.

Singulis proſit, noceatq; nulli,
Scandalon nullum moueat, bonamq;
Proximi famam perulante aufit
Rodere nunquam.

Nectat & laudum tibi deſitarum
Pro tuis in nos meritis coronam,
Et ſonet ſemper tibi grata letis
Cantica labris.

DOMINICA XIII. POST TRINITATIS.

Qui regis cælos, moderaris orbem,
O Parens, omnes hominesq; ſaluans
Omnibus prudens ſua certa rebus
Tempora ponis.

Sedulas leto tibi corde grates
Promimus; mundi quòd in hoc beatum
Seculum, te ſic moderante, noſtra
Incidit ætas:

Quo tui verbi pia prædicatur
Vox, Sacramenti manet utriusq;
Integer ſenſus, neq; verus horum
Deſinit uſus.

Hinc voluntatem nimium paternam,
Cordis affectus, animi tuiq;

Hinc inexhaustum toties amorem

Noscimus omnes,

Hinc tuum nobis Genitum videndum,

Cum suis donis meritisq; cunctis

Exhibes, in quo patet alta iustis,

Ianua Cæli.

Hos tua fructus, Genitor, potentis

Vocis obsignes teneris in ipsis

Cordium fibris, titubent ut omni

Tempore nunquam,

Et metu pœnæ, crucis aut pericli

Abstrahi nos non patiamur inde,

Donec æternos tibi concinamus

Vocibus hymnos.

DOMINICA XIII. POST
TRINITATIS,

Omniū rerum sacer o bonarum

Fons, creaturæ Pater omnis, atq;

Conditor prudens hominum, salutis

Optime custos.

Qui parentalis mala seu a sordis,

Ceu malam nostris animabus altè

Insitam lepram luis innocenti

Sanguine Gnati.

Perg, Baptismum sacra lympha mundat

Quicquid est turpis macula, tuâq;

Gratiâ

Gratiâ tristis mala subleuantur

Crimina pœna.

Id tuo sancto meritum renatis

Singulis verbo tribuis diebus,

Et iuuas omnes, tua qui precando

Numina poscunt.

Cordibus nostris requiescat almus

Spiritus, veram fideiq; lucem

Ingerat nobis, stabilesq; mentes

Omnibus addat.

Summa ne Gnati benefacta nobis

Excidant unquam, neq; res secunda

Insolentes nos faciant: sed illum

Ritè colamus.

Corde te mihi timeamus, altam

In tuam toti miserationem,

Simus intenti, Calidus fouet dum

Spiritus artus.

Ac piam laudem resonante lati

voce cantemus tibi, Filioq;

Et paraclero, melicis ut ather.

Per sonet odis.

DOMINICA XV. POST
TRINITATIS.

Qui creaturis tribuis perennem

Omnibus motum, uegetosq; sensus.

E 3

Add*

Addis, & grata stata qui tueris

Tempora vita.

Nos tibi nostro, paribus Camænis,
Maximas grates canimus parenti,
Vox pios hymnos modulans serenum

Aëra mulcet.

Quòd ligamentis, Cute, Carne, nervis,
Ossibus, venis alijsq; membris,
Autor ornasti Sapiente nostra

Corpora vultu.

Hisq; viuentes animas dedisti,
A quibus viuunt, quibus & mouentur,
Impetu quarum labor, ars & omnis

Prodit in actum.

Hactenus Clemens ea vindicasti
A malis cunctis, & adhuc lacertos
Panibus firmas, animasq; sacro

Dogmate pascis.

Hanc tuam largam Benedictionem
Aufer à nobis, pater alme, nunquam,
Sed penus semper locuplete cuncta

Funde quotannis.

Fac nocens nostra vitiosa vita
Cura ditandi procul hinc faceffat,
Dira Mammona jaculantis in nos

Disijce vela.

Vt

Vt piam nostrum stabiles amorum
Mentibus parvis tibi comprobemus,
Debiti soli tibi conferentes

Munera cultus.

Idq; quò fiat melius, repurga
Pectoris Cæci tenebras: colat ne
numen haud Numen, veritos nec illi

Præstet honores.

Sed spei nostra, fideiq; nullum
Restet obiectum nisi tu, tuusq;
Dulce sit nobis Favor allevamen

Rebus in arctis.

Per tuum Gnatum rata fac precantum
Vota, qui tecum simul atq; sanctam
Cum paracleto, sine fine cuncta

Ritè gubernat.

DOMINICA XVI. POST TRINITATIS.

Qui tenes magni DEVS ampliores
Imperi fines, tua quàm globosa
Vastitas terra, caua quàm rotundi

Orbita cæli.

Causa mittendi sobolem paterno
De tuo regno, super huius imos
Terminos orbis, patet estq; nobis

Prodeit a verbo.

E 4

Debiti

Debit iustum moriendo lytron
Esse pro cunctis hominum per orbem
Debitis, & nos redimendo, sciam

Frangere mortem.

Pro reis pœnam luit, atq; mortem
Fregit aeternam, dominus potensq;
Factus est mortis, quia suscitavit

Morte peremptos.

Da parens, hanc ne dubium pudendum
Spem bonam nobis reseret, nec ullus
Auferat torpor, sed eam fideles

Semper alamus.

Quod tuus sicut vidua querentis
Filio Gnatus gelidâ soluto
Morte, vitalis tribuit vicissim

Luminis usum:

Sic, ubi finis veniet dierum
Omnium, praesens & in igne mundus
Concidet, cunctos referet sepulchris

Aethere cassos.

Et pios omnes fideiq; plenos
Ducet ex mundo patrias in aedes
Lucidas caeli, facietq; letas

Scandere sedes.

DOMINICA XVII. POST
TRINITATIS.

Qui

Qui potens mitas DEVS ima summis,
Deprimis clarum, minuis superbum,
Ad gradus summos releuas in imo
Pulvere pressos.

O Parens, nostros animos gubernas
Spiritu sancto, timeamus ut te
Mente sincerâ, tumidig, fastus
Semina tolle.

Vt tuum verbum cadat in polita
Corda virtutum studijs bonarum,
Et celebremus sacra Sabbatorum
Festa decenter.

Rursus ut verbi meditatione
Sancta siamus tua gens, IESVM
Esse damnati generis sciamus
Nobile lytron.

Et petram nostra fidei, speiq,
Anchoram tutam columenq, nostra,
Quam suo letho meruit, salutis,
Iuris & equi.

Atq, discamus, ratione quâ nam
vita sit nobis benè transigenda,
Vt tuo verbo patrieq, menti
Consonet vni.

Ex loco dum nos humili supremum
Tollat in Cælum generosus heros,

E 5

Qui

Qui coaeternus DEVS est, homoq̄
Tempore factus.

DOMINICA XVIII. POST
TRINITATIS.

Reclor ô cœli DEVS, autor orbis,
Fautor electi populi, malorum
Omnium vindex, validis coercens

Dæmona vincis.

Nos sumus verè miseri, malisq̄
Sordibus vitæ nimis inquinati,
Scimus à nobis iua quid requirat

Sancta voluntas.

Sed palam languor grauis heu nefas, heu
Sordis & moles onerosa nostros
Deprimunt ausus, paradigma mundi

Absona saudet.

Ad bonum nescit caro nostra flecti,
Ad malum sanguis citò permouetur,
Artifex Damon sua subministrat

Tela fatesq̄.

Ergo te Patrem simul inuocamus
Omnibus votis precibusq̄, nostra
Vt sacrum fundas in onusta curis

Pectora Flatus.

Ne malis tantis superemur unquam,
Sed fide firmâ Geniti salubre

Apprehens.

Apprehendamus meritum, crucisq;
Nobile letum.

Inde solemur pavidas in omni
Re malâ mentes, veniamq; plenam
Omnium vitæ scelerum per illum
Esse sciamus.

Omnis & vitæ studium locemus
Ad tuum nutum placitumq;, nobis
Donec in Christo tua sancta finem
Gratia ponat.

DOMINICA XIX. POST
TRINITATIS.

O Parens omni Pietate digne,
Atq; diuinâ veneratione,
Qui tui Gnati medicante verbo
Omnia sanas.

Huic viro labis veniam paterna
Nuncias sordis propriaq;, tandem
Submones pigram Paralyfin, artus
Viribus ornas.

Te per hanc oro miserationem,
Quæ nec incepit fieri, nec unquam
Esse cessabit, noua sed resurgit
Omnibus horis.

Sis mihi clemens quoq;, sis benignus,
Parce peccanti mihi, per tuamq;

Vnicè

Vnicè charam sobolem remitte

Crimina cuncta.

Languida robur fidei ministra

Hoc tuo verbo, Triadosq; Flatu,

Et viam rectam mihi pande, ne quid

Turpiter errem.

Nec malis morbis grauiumve tristi

Prebeam causas segeti malorum,

Sed tui cunctos Timor inchoandos

Dirigat actus.

Ne mihi seua simul hic & illic

Ingruant pœna, neq; tristis ira,

Sed tibi iunctus placide beata

Pace quiescam.

**DOMINICA XX. POST
TRINITATIS.**

Clara qui cœli nitidi gubernas

Astra, præscribis pia iura mundo,

Et voluntatem populis paternam

Ipse reuelas.

Dulce Lesbœo pede fingo gratus

Carmen hoc, summâ Bonitate mitis

Pro tuâ mentis, celebros tuig;

Acta Fauoris.

Ad tua quod me sobolis vocasti

Nuptias letas, ubi non Falerni

Vina

Vina proponis, neq; sumtuosa
Fercula Regum;

Sed tuum verbum meritumq; Gnati,
Spiritus sanctum, veniamq; culpæ
Omnis, & pulchri bona cuncta celi
Das venienti.

Sed vide clemens Genitor, malorum
Hinc & hinc quantus cumulus resurgas,
Murdus à dextris, Sathanas sinistris
Retia tendunt.

Laxat imbellis Caro nostra frenum;
Donec ad lapsus veniat pudendos;
Et cadit, Si non tua dextra presens
Servat eandem.

Ergo tu serua Pater hanc potenti
Spiritu, ne me grauiore casu
In nefas turbet vetitum, malisq;
Præbeat ansam.

Debilis quòd si cado, nuptialem
Et meam vestem maculo, tuus quam
In sacris loto mihi Gnatus olim
Induit undis:

Subleua tu me subito iacentem
Dexterâ miti, maculasq; turpes
Terge, à toto doleam nefandos
Pectore lapsus.

Et

*Vi fide verâ tibi copulatos
Nos trahat secum nitidam per aethram,
Atq; promisso super astra tandem
Munere donet.*

DOMINICA XXII. POST
TRINITATIS.

*Dives ô rerum Pater, ô bonorum
Fons, dator vitæ, miserator omnium
Facta desilentis sua, serioq;
Corde dolentis.*

*Ipse nos vincit Ratio fateri
Calculi, nos non minimo quadranti
Esse soluendo tibi, tanta sunt hæc
Debita nostra.*

*Sed pia mentes tibi grata solunt
Ora, te patrem celebrantq;, scripti
Tam grani quod nos miseros Eleni hi
Fasce leuasti.*

*Hoc enim Gnatus tuus uniuersum
Debitum, te sic moderante, sum sit,
Et suâ soluit nece, quod valebat
Soluere nemo.*

*Rursus ardenti prece te rogamus,
Ah pater mitis, stabiles in ipsâ
Hæc fide nos ut tueare Sancti
Numine Flatus.*

Eius

Eius ut ductu tibi seruiamus
Viribus totis, animoque prompto
Proximum rebus, studijs inuenimus

Aere fideque

Omnia à nobis vitiosa cedat
Ira, privatae furor ultionis
Desinat, ne nos rapias vicissim

Vindice dextra.

Blanda sed semper tua mens, paternus
Et fauor nobis maneant, caduca
Vita dum durat, calidusque Sanguis

Dum mouet artus.

Per coequalem tibi Filium, qui
Cum sacro Flatu, pariterque tecum,
Lapsa praecessit, regit haec, futura

Secula vincet.

DOMINICA XXIII. POST
TRINITATIS.

Magne Caelorum DEVS, Orbis, Orci,
Quem tremunt gentes, tumidiq; Reges,
Regna qui transfers, & auita mutas

Sceptra potentum.

Nostra fert summas tibi Musa grates,
Quod bona nobis preciosa pacis
Dona largiris, trepidi tumultus

Semina deles.

Et

Et Magistratus peregrina nostris
Sceptra depellis laribus, cruenti
Finibus nostris lacrymosa Martis

Eijcis arma.

Sis Pater posthac etiam benignus
Huic tua genti, facilemque monstra
Huic modum vite, tua quo timere

Numina discat,

Et iurum iuxta placitum cauere,
Ipsa quod contra Pietas repugnat,
Ne laceffamus fera Bellicosi

Agmina Martis:

Duc Magistratus Pietate nostros,
Ne sibi, qua sunt tibi danda, sumant;
Sed dari mandent, ea dent & ipsi

Pectore prompto.

Vt sub his crescant bona cuncta nobis
Subditis, omnes & ut actiones
Prosperè cedant, pia pax liget nos

Sospite nexu.

DOMINICA XXIII. POST
TRINITATIS.

Omne qui verax DEVS es per eum,
Mens ab aeterno bona, Rector orbis,
Gentis humanae pater atque custos,

Vita salusque

F

Es

En tuæ splendens Deitatis Icon
Dixit, ipsius merito daturum
Te reis gratam trepidis quietem

Crimina contra,

Et Stygis contra rabiem, minasq;
Mortis æternæ. Manibus levatis
Quæsumus, in nos rege, duc tuosq;

Numine corda,

Vt fide forti patrium Fauorem
Hunc tuum nobis simul applicemus,
Indies hac et vice ditiori

Spes bona crescat,

Claudimus quando numerum dierum
Omnium quod non fera Mors vocari
Possit id verè, sed amica somni

Mollis imago,

Nam licet mutis cineres operi
Putreant tumbis, tamen hos IESVS
CHRISTVS ad læta reuocabit æta

Gaudia vitæ,

DOMINICA XXV. POST
TRINITATIS.

Reclor ô cæli, moderator orbis,
Qui tuum verbum populis salubre
Tradis, & grati nisi sunt, vicissim

Demis idipsunt.

Te

Te Patrem læto celebramus ore,
Te pijs linguis canimus, tibiq;
Grata depromunt latebris ab imis
Pectora grates.

A jugo quod nos Latij Tyranny
Atq; vendentis precio Papatus
Iura Cœlorum sacra, liberasti
Dogmate verbi.

Et per hoc ipsum radios paternæ
Gratiæ, fulges quibus hinc & illinc,
Ipse sparsisti super hunc corusco
Lumine tractum.

Te genu Patrem posito rogamus,
Vt diu post hac radiare nobis
Possit hoc lumen, procul hinc opacas
Pelle tenebras.

Deuius cedat procul error, absint
Hereses, nemo tua iussa spernat,
Aufer ingratos animos, & auge
Pectora grata.

Turba ne simus malesana, sicut
Gens Ebraeorum fuit, ast tenaci
Corde seruemus tua vera sancti
Dogmata verbi.

Hisce tollamus maculas pudendas
Non bona vite, tibi filioq;

*Omnis incumbat pia nostra semper
Spesq; fidesq;*

*Qui Parens ortus DEVS omnis expers
Cuncta cum Gnati regis atq; sancto
Spiritu, quorum solium mouebit.*

Nulla vetustas.

FINIS PRECATIONVM DOMI-
NICALIVM.

PRECATIONES EX
Euangelijs Feriarum desumptæ.

IN FERIIS D. ANDREÆ
APOSTOLI,

*Qui DEVS cælos stabili gubernas
Lege, qui stellas regis, ac oriri
Dum iubes Lunam, veniente Sole,
Condis eandem:*

*En tuum Sanctus digito notavit
Hunc Iöannes Genitum, Dei quem
Clamitans Agnum vocat auferentem
Crimina mundi.*

*Supplici voto Pater obsecramus,
Vt tuo Flatu lapidosa tangas
Corda, Celesti faciasq; tandem*

Molliarore.

Quo

Quo piam (sicut paradigma nobis
Diuus Andreas dedit) hanc coeui
De tuo vocem Genito reponant

Sedibus imis.

Hunc & aeternam dare qui salutem
Omnibus nobis velit atq; possit,
Esse credamus, comitemur hunc per
Saxa, per ignem.

Donc exutâ veteris figuræ
Pelle, circundet tuus hic vicissim
Nos nouâ Gnatus, Patriamq; secum
Ducat in aulam.

IN FERIIS D. THOMÆ APOSTOLI.

O DEVS, quis te Bonitate vincit?
Quis tibi par est, tibi quis secundus?
Te patrem mundi triplicis creata
Cuncta fatentur.

Nam tui Gnati meritis salutem
Et viam, Cæli nitidos ad axes
Ipse pandisti patrij reatus
Gurgite mersis.
Sis mihi clemens, fer opem benignus,
O Parens, & me superare forti
Vi iuua, cum me malefidus error
Urget & angit.

Et fidem firmam mihi subministra,
Ut tuo verbo sine fraude credam,
Nec sequar pugnax malè feriatæ

Mentis acumen.

O DEI Fili, reparator alme
Perfidi Thomæ, famulum require
Me tuum, me duc, rege me, doceq;

Flamine sacro:

Ne tuo durâ Patrio Fauori
Mente diffidam; stabili fide sed
De tuâ pendens Bonitate, cæli

Commoda carpam.

IN FERIIS S. STEPHANI
PROTOMARTYRIS.

O Beatorum Pater arx, asylon
Martyrum, custos & Apostolorum
Cum tuo Gnato, sibi quos acerbâ

Morte redemit.

Qui coronasti Stephanum beatum,
Martyrem primum lapidum Coronâ,
Obrutus constans quibus est professor

Dogmatis huius.

Quod docet regnum tibi non paratum
Esse de mundo fluido, sed altis
De Polis, in quo pia membra seclis

Secula neclent.

Supplices

Supplices ad te precibus venimus,
O Parens, Quod si subeunda Crux est,
Ob tuum Nomen fideiq; verbum,
Fortiter adsis.

Et sacro Flatu pia corda fulci,
Corpori vires, animo vigorem
Mite lenimen crutiatuumq;
Adde benignus.

Simus ut fortes, neq; terreamur
Igne, vi, saxis, gladijs, nec undis,
Nec minis ullis, nec opum periclis,
Fraude nec arte.

Omniū quòd si facienda nobis
Damna sunt, nostras pretiosa mentes,
Gaza cælorum moneat caducum
Spernere mundum.

IN FERLIS INNOCENTI,
VM PVERORVM.

Summe curator super axe claro
Cælitum, nostri gregis alme tutor,
Qui vagum passim gemino per orbem
Subiacet axi.

Qui tuum notum facis efficaci
Filiū verbo, quòd in orbe spargis;
Sed vides quantā rabie tyrannos
Evomat Orcus.

Excitat saevus nova monstra Damon
Singularis horis, aciemq; tanquam
Illa producit laqueis, catenis,

Ensis, armis:

Vt tui verbi pia persequantur
Membra, constringant, iugulent, trucident,
His ut augustâ facie resistas,

Surge precamur.

In cruentatos mala cuncta funde
vertices horum, tibi qua minantur,
Et tuis membris, bona da quietæ

Tempora pacis.

Vt tuum verbum melius magisq;
Hic in immenso patefiat orbe,
Teq; patronum pius omnis omni

Laude celebret.

IN FERIIS CONVERSIONIS D. PAULI.

Conditor Cæli DEVS atq; terra,
Cordium scrutans latebras, profundos
Ponderans sensus, animos tuosq;

Numine mutas.

Qui piæ Paulum resonâ paternè
Voce de cæli solio vocasti,
Ex malo qui fit bonus, ex tyranno

Præco fidelis.

Persequi

*Persequi cessat pia membra Christi,
Vas sit electum, fidei professor,
Gentium Doctor. Tua me gubernet
Gratia, queso.*

*Vt tuo verbo monitisq; fidis
Seriò credam quog; fiat & quod
Me iubes, vitæ mala poenitenti
Pectore plangam.*

*Obsequi posthac vitÿsq; cessem,
Ac pia vita studeam, tuâq;
Gratiâ solâ, mediante Gnato,
Nitar alarg;.*

*Terream dum mors habitationem
Solvat hanc, & tu renoues eandem
Vt nouo tecum super axe semper
Viuere possim.*

**IN FERIIS PURIFICATI
ONIS MARIE.**

Nunc dimittis &c.

*Nunc in pace tuum seruum, pater optime, soluis,
Sicut promisit vox tua sancta mihi.
Nam saluatorem vidi, Christumq; paratum,
Qui populis cunctis monstrat ad astra viam.
Gentibus est cæcis qui lumen amabile factus.
Et plebi Israël Gloria magna tua.*

PRECATIO.

O Parens semper bonus ut fuisti
Es bonus nobis ita nunc & olim
Sic eris, nec te minuet senectus,
Secla nec vlla,

Qui coeternam sobolem parasti,
Ut salus cunctis foret, & Redemptor,
Gentibus lumen, propriaq; magna
Gloria plebi.

Cordibus nostris nitidum, precamur,
Lumen accendas, videant ut omnes
Propter hunc Gnatum, tua que sit in nos
Mens, amor & cor.

Hic opem nobis ferat & salutem,
Quando mors frendet, Satanas minatur,
Triste peccatum furit, atq; victus
Panditur Orci.

Ac ubi finem facit hora vite,
Claudat hic nobis oculos quietã
Pace, cœlestis tribuatq; tandem
Gaudia vite.

IN FERIIS S. MATTHIÆ
APOSTOLI.

Qui tenes celsam super astra sedem,
Et vides cunctos homines in orbe,
Recreas mentes humiles, superba
Pectora frangis.
Paruulis

Paruulis nobis patet atq; spretis,
Ex tuo verbo, tibi per coeuum
Filiū, qui sis, tua quæ voluntas,
Qualis in omnes.

O Parens audi bone nos, & almā
Dum frui vitā datur, hoc tuo nos
In salutarī retine fideles
Dogmate verbi.

Atq; prudentum Sepientiumq;
Orbis exemplum remoue sinistrum,
Ne pijs obstent, alacres sed ipsa
Sub cruce simus.

Corde vincamus patiente quicquid,
Dante te, nobis fuerit ferendum,
Ob tuum verbum, tuus & Favor nos
Erigat ingens:

Quod tuum nobis proprium dicasti
Filiū Christum, per eumq; cunctos
Nos adoptasti, tibi chara summi
Pignora cæli.

Mite solamen, solidasq; vires
Perpotens verbum, validumq; Numen
Ipse promittis benè militanti
Sub duce Christo.

Donec è mundo meliora cunctos.

Fata

lis

*Fata nos ducant, sua membra sancto
Et suo Christus gremio beatas*

Portet in ades.

IN FERIIS ANNUNTIATIONIS MARIE,

*O Parens mitis miseros in omnes,
Aspicit quos Sol, quibus hæc benigna
Terra dat victum, Bonitate cuncta*

Qui loca complex.

*En tibi grates pia lingua cantat,
Vox honoratos modulatur hymnos,
Corpus & totum tua predicanda*

Facta celebrat.

*Quòd rei nostri generis misertus
Filium, Cæli solio relicto,
Lata misisti super hac patentis*

Climata mundi.

*Carnis ut nostra (sine labe) massam
Hanc conniret sibi, nasceretur
Vagiens infans, & amana ferret*

Dona salutis.

*Da locum nostris precibus, rogamus,
Et sacri flatus face præmicanti
Suscitantes, vigilem fidemq,*

Omnibus adde.

Fac tui Gnati benefacta, ceu sunt:

Vnio

Vnio durans, Genesisq; sancta,
Passio, mors & celebris triumphus,
Pectora firment.

Hic potens noster Dominus salusq;
Rex & aternus maneat, parenti
Qui tibi nos, & tibi Sancte Flatus
Iungat in aenum.

IN FERIIS SECUNDIS
PASCHALIBVS.

O DEVS multa miserationis,
Morte non gaudens hominum, sed omnes
Queritans, si quos mala mens, vagusq;
Abstulit error.

Qui viris mæstis, Emaunta versus
Dum viam carpunt, sua conferentes
Verba de Christo, comitem fidelem
Addis eundem.

Quos docet, firmat fideiq; parua
Subuenit presens. Manibus supinis
Atq; deuotis animis precamur,
Alme creator:

Vt tuum nobis etiam benignum
Spiratum dones, animisq; verbo
Suggeras vires, fideiq; nostra
Robora praestes.

Sine

*Sint tui verbi meditationes
Gaudium nostrum, sit idem voluptas
Nostra, nec quicquam tua sancta preter
Iussa sequamur.*

*Vt licet nobis toleranda detur
Pars crucis Christi, varijs casus
Torqueant vitam, tamen extimescat
Talia nemo.*

*Sed tuum verbum solidè labantes
Fulciat mentes, numero dierum
Donec impleto, sua regna nobis
Christus adequet.*

IN FERIIS ASCENSIONIS CHRISTI,

*O Patris summi soboles IESU,
Amplius qui non ades hic in orbe
Visui nostro miser atq; pauper
Spretus & ager.*

*Hanc sed assumptam tua sancta serui
Infimi formam caro sic reliquit,
Vt Poli posthac modereris atq;
Orbis habenas.*

*Nam tibi rerum data iam potestas
Omnis est, dextera patris assidenti.
Supplices ad te properamus atq;
Quasumus omnes:*

Spiritu

Spiritu mentes rege, Frater alme,
Mitte doctores iterum fideles,
Et tui sancti monumenta clara

Protege verbis.

Demonis dele, Stygis & furentum
Hostium robur validum, tuæq;
Sancta celestis patria potenter

Regna tuere.

Conteras donec pedibus feroces
Persecutores, populus tuusq;
Omne peccatum, duce te, necemq;

Vincat & Orcum.

IN FERIIS SECUNDIS PENTECOSTES.

Summe regnator DEVS utriusq;
Axis, obliqui revolutor idem
Impiger cæli, Fabricator orbis,

Aëris autor.

Menti qui motus miseris paternâ
Filiū nobis proprium dedisti,
Ut fide noster fieret, fideq;

Corda bearet.

Te patrem castis precibus vocamus,
Ut regas mentes fragiles, tuig;
Numen afflatus subeat subinde

Pectora nostra

Et

*Et fidem nobis iunet hanc tueri
Firmiter, donec veniat supremus
Exitus vite, tribuasq; nobis*

Gaudia cæli.

*Per Redemptorem, dominumq; nostrum
Qui manet tecum DEVS vnus, atq;
Cum sacro Flatu, quibus hic & illic*

Laus sit honorq;.

**IN FERIIS D. PHILIPPI ET
IACOBI APOSTOLORVM.**

*O DEVS mitis, tua quàm stupenda
Facta sunt, mundi quibus vniuersos
Angulos imples, quid enim bonorum*

Deficit orbi?

*Promimus toto tibi corde grates,
Quòd per aeternam sobolem, paterna
Mentis & summa miserationis*

Viscera monstras.

*Gratiæ nil est, nihil est. Fauoris
In tuâ sanctâ Deitate, quod non
Exhibes nobis, adeò moueris*

Prolis amore.

*Sed preces audi, Pater alme, nostras:
Indies & fac magis ut per orbem
Notior fiat Bonitatis huius*

Inclyta fama.

Hde

Hæc & arata uelut arcẽ tuiti
Vt tremiscamus nihil ad potentis
Tela fortuna, quoties minatur
Perdere cuncta.

Viq; spe forti superare semper
Cuncta possumus mala, donec alta
In tuis Vlnis & amore nobis
Mansio detur.

IN FERIIS S. IOANNIS
BAPTISTÆ.

O DEVS, cui Sol, Polus, astra parent,
Ventus & nubes, pluuia niuesq;
Quicquid & terrâ fruitur, mariq;
Quicquid & Orco.

Nostra diuinas tibi vox ad aures
Carmen hoc adfert resonans fidelis
Debitas grates animi, pÿq;
Iubila cordis.

Gratiã nam quid valet esse maior
Hæc tuã, quod non modo Concionem
Legis ostendit typicus propheta,
Quæ necat omnes.

Sed salutaris quoq; dogma verbi
Predicas, lapsos ad eum reducens,
Dux Iõannes digito suo quem
Monstrat IESVM.
G Omnibus

Omnibus per quem scelerum remittit
Clamitat culpam, fieriq; sanctos
Et fide iustos, quibus est venire

Prona voluntas.

Spiritu sancto rege nos, precamur,
Ut fide verâ, placidâq; corde,
Hanc salutarem sibi concionem

Applicet omnis.

VI DEO soli tibi seruiamus,
Absq; qui mentes onerat, timorē,
Integri, iusti tenerâq; donec

Vescimur aurâ.

IN FERIIS D. PETRI ET
PAULI APOSTOLORVM.

Te penes ius est, DEVS, & potestas
Summa, tu noctem facis & vicissim
Efficis lucem, tibi Luna seruit

Phœbus & astra.

Nos tuas laudes tua predicamus
Facta, te gratis celebramus hymnis,
Quod tuum nobis Genitum colendum

Nosse dedisti.

Sed parens ô sed miseri videmus,
Ardeat quanto Satanas furore
Munus hoc contra, latus omne circum

Ambulat atrox;

Vltim

Vitæ technis & aperta cogit
Arma, quæ pacem iugulent, & ipse
Apia noscendo loca cuncta Christo
Perdere tentat.

Hunc parens ergo graviter retunde,
Et sacrum nobis dare ne recuses
Spiritus, qui nos regat, & potenti
Numine ducat.

Ne fides nobis titubet, nec unquam
Nosce cessamus Genitum colendum,
Dum calor vitæ fugientis udo
Culture prodit.

Hæc ubi cessat, mediante tecum
Filio vitæ stabili fruamur,
Ac in æternum tibi copulemur,
Da Pater almæ.

IN FERIIS MARIÆ MAG. DALENÆ.

O DEI viui soboles IESU,
Splendor æterni Genitoris, ô qui
Propter humani generis salutem
Es caro factus.

Et crucis pondus graue sustulisti,
Pro reis mortem Crucis ipse passus,
Te Dei fili querulâ verende
Voce rogamus,

Mitte Patronum solij paterni
Cordibus nostris, ut in his paretur
Verus ob pravas dolor actiones

Hoc duce sancto.

Hic fidem firmam meritum tuamq;
Gratiam nobis pariter applicantem,
Quae male mentis scelerumq; saeva
Spicula tollat.

Vt fide, sicut pia Magdalena,
Mente pacatâ tibi iubilemus,
Nec tuas lingue taceant in animum

Dicere laudes.

IN FERIIS VISITATIO- NIS MARIAE.

Qui DEVS Celos ita fabricasti
Vt pila parua similis, rotundo
Terra penderet medio, sed absq;
Libera fulcro.

Qui genus nostrum, quod in orbe vivit,
Afficis summâ Bonitate rerum,
Indigent mentes quibus, & caduci
Corporis artus.

Quis tibi quis non merito piorum
Gratias praesens ageret perennes,
O Parens, cum sis adeo benignus
Pascere cuncta.

Nostra

Nostra ne fiant caue nec tumeſcant
Corda ventoso violenta faſtu,
Pelle ſecuros animos, & adde

Pectora grata.

Impudens ne nos ſclerum libido
Flebiles ſecum trahat in ruinas,
Vt nec à nobis tua lenis unquam

Gratia cedat.

Nil enim ſumma ſapientia vis
Nil poteſtatis iuuat amplitudo,
Nil opes profunt, ubi non timeris

Pectore toto.

Ergo tu nobis pia preparato
Corda, qua verè timeant parentem
Te, ſuis donec thalamis mouentur,

Et tibi fidant.

Semper ut nobis faueas benignus,
Noſq; diuino tueare Fato,
Ac in æternum facias ab omni

Parte beatos.

IN FERIIS D. IACOBI APOSTOLI.

O Gubernator, DEVS, vniuerſi
Orbis, excellens ubicunq; nobis
Vultus aſſulget tuus, omne leta

Jubila promit.

G ?

Ad

Ah nimis crux est onerosa nobis,
Et sub hac corpus nimis ingemiscit,
Liberum quarit fieri, sibiq;
Viuere gaudet.

Hoc sed in fatis fuit, haec voluntas,
Atq; decretum Deitatis alma,
Vi λόγος factus caro sustineret

Pessima quaq;
Inq; caelestem patriam rediret
Hoc modo, vis & Ducis huius omnes
Subditos fato simili paterna

Regna subire.
Ergo te votis precibusq; patrem,
Cuius immensa est pietas, vocamus,
Ut tuo nostros animos superno

Numine firmes.
Ne crucem nobis ubi das ferendam,
Decidant mentes, querulumq; murmur
Obsequi spernat tibi, fessa tandem
Corda labascant.

Fulciat sed nos animosa vita
Spes secutura melioris, omnem
Et fide forti iunet inuidendam

Vincere fortem.

IN FERIIS D. BARTHO.
LOMÆI APOSTOLI.

Qui

Qui globum cæli tererem potens
Dextera torques, vicibusq; pulchris
Astra permittas, modò Luna pernox,
Sol modo regnat.

Qui tua semper populo ministros
Præficias fidos, quibus explicandi
Das potestatem tua iussa Sancto
Tradita verbo.

Vt suo cunctos homines labore
Nosse te solam doceant, timere
Te DEVM verum, fieriq; saluos
Nomine Christi.

Corda te votis, precibusq; lingua
Inuocant claro super axe patrem,
Vt sacro verbi vigiles ministros
Flamine ducas.

Cuius instinctu, studio fideli
Omnium rerum satagant suarum,
Turpis eradant elementa Ditis,
Plus e' habendi.

Corda nec fastu tumeant proteruo,
Dediti nec sint alijs parergis,
Vt tuum Regnum uigeat, sed orci
Corruat aula.

IN FERIS S. MATTHÆI
APOSTOLI.

Qui genus clemens hominum receptas
Gratiâ solâ facilisq; pressos
Sordibus tetrâ releuas, facisq;
Scandere cælum.

Nos tuo verbo quoniam vocasti
Ad tuum regnum, quod in orbe passim
Colligis clemens, ubi summa cæli
Gratia regnat.

Est ubi præses Favor & gubernat
Quaq; condonat Pietas notatè
Criminis culpam, docet & beata
Tecta subire.

His fatigamus precibus benignum
Te Patrem, nostros animos serena
Igne cælesti, vegetansq; nobis
Flammula surgat.

Vt tuum, sicut sua Publicanus
Fæcta Mattheus malè sancta defset,
Promtus & Christum sequitur vocantem,
Dogma sequamur.

Antè qua fædis fuit inquinata
Vita peccatis, tibi nunc bonorum
Proferat fructus operum, tuumq;
Numen honoret.

Fons tua nobis pateat salutis,
Nomen ob Christi, recreetq; fessos,

Donet

Donet aeterna sacra consequamur

Sabbata vite.

IN FERIIS S. MICHAELIS
ARCHANGELI.

○ DEVS regnans super axe, quantus
Quantus es, nil es nisi Fons bonorum,
Nemo te maior, tibi nullus est par,
Omnia vincis.

Inclyto Regum tibi Rex venustum
Christidos regnum fidei, perennes
Concinit grates hodie per omnis
Climata terra.

Quod gregi sancto vigiles dedisti
Angelos, cuius lateri ministrant,
Sena quem contra capitalis hostis
Arma tuentur.

Has preces atq; hac pia vota cordis,
O Parens, quae iam tibi nos ad aures
Fundimus, nosces, dabis & petitis.
Pondus inesse.

Nos sumus viles, sumus impotentes,
Ad malum proni, tuus ergo Flatus,
Qui tibi patri Genitoq; par est,
Robora praestet.

Et tui semper regat in timore
Corda, ne quicquam faciant nec ausint,

G 5

Quod

Quod tibi bilem moueat, tuamq;
Prouocet iram.

Dira sed quando capiti pericla
Imminent nostro, chaos ec in unum
Cuncta miscentur, tamen hac labascat
Spes bona nunquam.

Quod tui nobis aderunt ministri
Flammei, nos & bona nostra firmis
Munient castris, & ubiq; denso
Agmine cingent.

Vt nec inferni furie, nec orbis
Monstra, nec magni proceres nec hostes
Impetu nostros vehemente catus
Ledere possint.

Nos suo charum populum redemis
Filius Letho, tibi nos reduxit
O Parens: ergo tibi sit redemi
Cura peculi.

Vita, res nostræ, via, corpus, ades,
Et manu quicquid locuplete donas,
Cuncta cælesti redimita semper
Agmine perstent.

IN FERIIS D. SIMONIS
ET IVDÆ.

Qui Polos, terras, varijsq; mundum
Temperas horis, hominumq; mentes

Ad

*Ad tuum ducis placitum, tuoque
 Numine matas.*

*In genus qui sis hominum, piosque
Diligas quantum, patefecit ipse
Vina subsistens Genitus paterna
 Mentis imago.*

*Has preces ergo Pater admouemus
Nos tibi, sanctum dare ne moreris
Spiritus nostris animis, beati
 Dogmate verbis*

*Subdat ut flammis nitidas Amoris
Mutui, quo te quoque prosequamur,
Tollat &, quicquid nocet huic eumque
 Impedit usquam.*

*Deusque robur, pauidasque mentes
Erigat, quando mala saeva propter
Dogma diuinum, iugulare nostra
 Corpora tentant.*

*Vt tua sancta Pietate freti
Et tuo verbo, nihil orbis iram,
Nil minas unquam timeamus atri
 Demonis. Amen.*

*Laus Creatori tibi summa Patri,
Laus Redemptori tibi summa Gnato,
Laus paracletico tibi summa Sancto
 Semper in aeternum.*

Finis harum pre c at ionum.

PARAPHRASIS
PSALMI XC.

O Parens, & Rex hominum, creator
Omnium rerum, DEVS & benigne
Quicquid in magno viget orbe terra
Omne gubernans.

Cum caput nostrum mala multa quondam
Semper antiquos premerent per annos,
Tunc eras tutum tibi dedicata
Plebis asylon.

Antequam valles fierent, & alti
Surgerent montes, & agri viverent,
Antequam starent spaciose late
Pondera terra.

Cum suos nondum mare vorticosum
Tolleret fluctus tumidos in undis,
Et diem Phœbus regeret priusquam
Lunaq; noctem.

Tu DEVS verus, pater, extitisti,
Et fuit tecum generosa proles,
Cum sacro Flatu: DEVS es, manesq;
Trinus & vnus.

Vt cares omni DEVS altus ortu,
Sic manes omni DEVS absq; fine,
Et tuos nullus refecabit vnquam
Terminus annos.

Tu potens multos homines valente
In leuem vertis cinerem, peremti
Teq; vitales redeunt iubente

Rursus in auras.

Mille sunt anni quia tam caduci
Ante te, quam sunt spacium minutum
Lucis hesternae, vigilumq; tempus

Perbreue noctu.

Hos quatis tanquam celeri fluentem
Impetu nimbum, quasi dormientis
Suauiter noctu, tenebris obortis,

Somnia fiunt.

Sicut amittit solitum vigorem
Herba, sol quando violentus urit;
Sic vices omnes vcrius reuoluit

Temporis ordo.

Luce ceu primâ virides per agros
Flos nitet pictus vario colore,
Falce sed curuâ subito resectus

Vespere languet:

Sic tuâ nostri fragiles in irâ
Corporis rursus minuuntur artus,
Atq; ferventis tua deuorat nos

Flamma furoris:

Aspicias tetras nitidis ocellis
Omnium sordes, tacitosq; nauos

Ad

Ad cui sistis speciosa clarè

Lumina vultus.

*Ira si quando tibi iusta surgit,
Tunc dies nostri pereunt repente,
Ac leuis si quas paleas inanes*

Dissipat aura.

*Quin & hinc dicto citius volucres
Transvolant anni, fugiuntq; sicut
Vocula, quales hominis vibrata*

Lingua profatur.

*Vita bis septem vaga lustra durat,
Octies denos venit aut ad annos,
Optimum quorum dolor est & angor,*

Cura laborq;

*Nam tuâ dextrâ rapimur potenti
Ad necem cuncti celeri volatu,
Et leuem mox in cinerem redimus*

Corpore toto.

*At quibus nota est grauis hæc furoris
Ira diuini? quis habet timorem
Debitum? quis te reueretur imo*

Pectore Patrem.

*Edoce nostras, Pater alme, mentes
Scire nostrorum numerum dierum,
Ut tuo ductu tua cum timore*

Fata colamus.

Redd'

Redde te nobis miseris benignam,
Quò furor tandem tuus usq; sevit?
Ah tua queso miserere mihi,

Num ne plebis,

Nos tua rursus satia paternâ
Gratiâ, vita tibi tunc canemus
Grata letanti, reliquos per annos,

Carmina voce.

Imbuas mentes, DEVS alme, nostras
Gaudio vero, quia tot malorum
Hactenus nostrum nimis obruerunt

Pondera dorsum.

Fac tuæ monstres operis venustos
Nobilis fructus famulis tuis, &
Posteris horum tua magni summi

Facta decoris.

Sitq; iucundus Dominus beandos
Nos super, nostros manuum labores
Prosperos larga Benedictione

Reddat ubiq;

Ipsæ nostrarum manuum subinde
Promove felix opus omne, soli
Ut tibi semper DEVS obsequamur

Pectore toto.

P R E.

PRECATIO
Pro defensione & gubernatione
pij nostri Magistratus.

*Summe parens Cæli, qui limina celsa gubernas,
Quia potente regis cuncta creata manu.
Quem solum penes est omnis veneranda potestas,
Et simul in terris & super astra poli.
Omnia tu stabilis vnus moderamina rerum,
Et potes hæc aliò ponere, quando lubet.
Nos meritò canimus toto tibi pectore grates,
Laudibus atq; tuam concelebramus opem.
Quòd tua constituit diuina potentia nostris
Finibus Illustrem magnanimumq; Ducem.
Qui clemens Princeps, fidus rectorq; clientes
Mitibus auxilijs consilijsq; iuuat.
Et quia das Sacro mandatum Flamine cunctis,
Vt tibi flagranti pectore vota ferant,
Sanctaq; non dubijs precibus tua Numina poscant,
Si modò pace volunt prosperiore frui,
Vt tua dextra regat summos regesq; Ducesq;
Et quibus imperij sunt data scepra tui:
Da patulas precibus nostris ardentibus aures,
Atq; pjs votis, quæ tibi crebra damus.
Et patrem patriæ, nulli pietate secundum
Numine diuino tu D E V S alme, rege.
Portus is est nobis, sub quo gens subdita victum
Querimus, & cuius Pax bona nostra fovet.
Hunc serua incolumem, contraq; pericula tutum.
Tempora quò vitæ longa superstes agat,
Nutriat*

Nutriet utq; pios cœtus, foveatq; ministros,
Qui tua veridicâ dogmata voce sonant.
Debita concedat doctis habitacula Masis,
Ingenuas artes adiuvet atq; colat.
Hunc etiam semper sapienti pectore dona,
Et largas animi suffice mitis opes,
Consulere in medium, et rebus succurrere fessis
Ut valeat, pressos & relevare viros.
Cuius & auxiliis omnis Respublica latos
Accipiat fructus, & bona cuncta paret.
Concordemq; eius regionibus insere pacem,
Et vigili studio bella cruenta preme: (lis:
Nam miserè pereunt grassantibus omnia bella
Sed placidâ contrâ pace vigente vigent.
Sit quoq; Cura tibi, DEVS, illustrissima coniunx
Illustris nostri Principis atq; Ducis.
Inclita dat tandem generosa pignora matri,
Magnanimum referant quæ Pietate patrè.
Ut nunquam desit nostris Dux inclytus oris,
Qui de Marchiacâ nomina stirpe trahat.
Principis & nostri vivat de Sanguine Princeps
Amplificans sceptris regna paterna suis,
Qui sacra Nutritor foveat pius agmina sæpè
Christi adum, ac maneat portus & aura pijs;
Deniq; conserva, DEVS ô mitissime cunctos
Virtute eximios & pietate viros,

H

Sarcina

Sarcina curarum quibus est commissa regendi,
Et pia qui rerum tradita frena tenent.
Illustra mentes horum spiramine Sancto,
Ut cum iudicio, iustitiâq; regant.
Supplicibus curâctis fac iura equalia reddant,
Utq; velut Patres subdita membra regant.
Hoc praestes nobis propter venerabile Nomen
Unigena Gnati, qui caro nostra satus.

H E R R Gott las dir befohlen sein
Unsern Landsfürstn/den Diener dein/
Behüt In für Feindes gewalt/
Dein arme Kirch vnd In erhalte.

δοξα τω θεω.

Sint vni trinoq; DEO, fontiq; bonorum,
Nunc & in aeternum, Gloria, Laus & honor.

F I N I S.

LACRYMAE,

LACRYMÆ

MATRIS ECCLESIAE

afflictæ, cum pio Davide græco-

latino Carmine in sinum

Christi effusæ.

Θρήνοι

Μὴ ἐμὲ ἕθ' ἑσθ' ἡ σὺ μὴνιμα ἐλάσθη
 μὲ σφάδρα, μήτε χόλος σὺ ἀποτίη
 ἐμὲ.

ὦ ἐλέησον ἐμὲ, ξυνόλω περὶ θυμῶ ἀλύσσω,
 δός μοι ἄκη, ὡς ἂν ὅτ' ἐταράχθη ἐμοί. (πλόν
 ἠνίδα ἀχνυμένην ψυχὴν τρόμος ἐλαβε, περὶ
 τῆτο ἕως ποτέ μοι οἰσέον ἐστὶ βάρος;
 κόρανε νόσησον, ψυχῇ με φάρμακα δῆναι,
 εἰνεκα καὶ γ' ἐλέγες σὺ μοι ἄμυνε θεός.
 ἔ μνήμη σέθεν ἐν θανάτῳ, κεκαλυμμένος αἴης
 αἴνω ἀμοιβαίῳ τίς σοι ἀείσει ἔτι;
 πυκνά μάλα σενάχων, τυτθὸν μόγις ἄθμα πι-
 τάινω,

δάκρυσι παννύχιον λέκτρον ἐμοῖο νέει,
 εὐδω δακρυχέων, θρήνοισιν ἐγείρομαι αἴυλις,
 δάκρυσι καὶ ῥοίνων μαρτύχα εἰμὶ λέχος.
 ἰχνὸν ἄχει τὸ πρόσωπον ἐμῶ, καὶ ῥυστὸν ἐγενθῶ,
 ἐν κύκλῳ ἄγχει τόσά με λυγρὰ κακὰ.
 ὄρσεο ἕθ' ἑσθ', μὴ τλήμονα μήτερα λείπε,
 μήτερα μὴ λείπης, ὄρσεο ἕθ' ἑσθ',
 εἰκέλε ρέζοντες κακὰ, οἱ χλεύης παρὰ κλησιν
 αἰροντες δίδοτε σκώμματα τερομένη.
 κόρανος ὅτ' ἐπι ἐμὰ πάντ' ὀλοφυνδὰ ἀκῆαι,
 κύριος εὐχὴν ἐμὰ καὶ τὸ δειμανοῖ.

ἰχθρῆς

Lacryma.

NE me Gnate Dei, ne me tuus oro fatigee
Usq; furor, nec me puniat ira tua.

Ab miserere mei, quia tota languet mente,
Sana me, Nam sunt ossa vetusa mihi.

En ingens animam tristem tremor occupat,

usq;

Quo mihi suppositam debeo ferre Crucem?
O aeternae redi DEVS, huic animaeq; Salutem

Adfer, meq; tua pro Bonitate iuva.

Nemo tuum memor est in morte, recoditus urna

Laudibus alternis, quis tua facta canet?

Nam fecere nimis me tot suspiria fessum,

In lacrymis tota nocte cubile natat.

Dormio cum lacrymis, cum fletibus excitor
inde,

Et stratum lacrymis irrigo nocte meum.

Tabida mærore est facies mea, flaccida rugis,

Vndiq; me miseram tot mala sæva premunt.

Surge DEI fili, miseram ne deseremat rem,

Desere ne matrem, surgito Nate DEI.

Cedite qui facitis mala, pro solamine Sannas

Qui datis afflictæ, scommata quiq; datis.

Audit enim Dominus mea verba cadentia fletu,

Exaudit Dom inus vota precesq; meas.

H ij

Hostibus

Θρηῆνος

Ἐχθρὸς συλήσει ἡμῶν πικρύντε νόοντι,
ὡς ἰρόμος ἢ δ' αἰχρὸς ἰρὸς ὀλέκωσι τάχα,
οἱ καὶ ἐλαυνόμενοι φαύλοιο στωιδόπι ἔργα
φεύξασ', ἐξαπύνης ὡς σορεωνται, ἀμλιώ.



Lacryma.

*Hostibus excipiet nostris animamq; fidemq;
Vt citò prosternant hos tremor atq; rubor,
Inq; fugam vertet tandem hos mens conscia
pravi,
Vt subito lapsu precipitentur. Amen.*



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



CP 3885 a


ULB Halle 3
004 834 704




Sb.

~~Handwritten signature~~







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

2 Im 1385/

Precationes

PIAE ET BREVES

EX EVANGELIIS

DOMINICALIBVS ET FERIA-

VM TOTIVS ANNI DESV MPTAE,

Sapphico carmine cum Adonico redditæ

à

M. ADAMO SCHRAMO,
VVONSESENSE.



WITTEBERGAE.

Typis M-G. Mulleri. Impensis Pauli
Hellenichij Bibliopola.

